D. F. Kruse.

DE ISTRI OSTIIS
dissertatio historico-geographica.

Pars I.

continens de scissionibus et ipsis fluvii ostiis, de ponte Darii Istro imposito deque insulis in ostiis jacentibus examina.

Accedit tabula geographica regionum a Carso civitate usque ad Tyrae fluvii ostia, diligenter expressa.

Supplementum opusculi ejusdem auctoris:

Über Herodots Ausmessung des Pontus Euxinus etc. so wie über die Brücken des Darius und Xerxes.

Wratislaviae, MDCCCXX.
Typis Grassii, Barthii et sociorum.
Sumtibus W. A. Holäufer.

DE ISTRI OSTIIS
DISSERTATIO HISTORICO-GEOGRAPHICA,

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS AUCTORITATE

PRO

FACULTATE LEGENDI

SCRIPSIT,
TABULA GEOGRAPHICA ORNAVIT
ET IN AULA LEOPOLDINA DEFENDET
DIE X. MAJI MDCCCXX.

FRIED. CAROL HERM. KRUSE,

OLDENBURGENSIS,

DOCTOR PHILOSOPHIAE, MAGISTER LIBERALIUM ARTIUM, MAGDALENAEI WRATISLAVIENSIS COLLEGA, H. T. SECRETARIUS HISTORICAE SECTIONIS SOCIETATIS SILESIAE, ET LIPSIENSIS OECONOMICAE SODALIS,

ASSUMTO AD RESPONDENDUM SOCIO
AUDITORE SUO

CAROL. FRIED. SENKEL,

BREGENSI - SILESIO

THEOLOGIAE STUDIOSO, ET THEOLOG. SEMIN. SODALI.

PARS PRIOR: DE FLUVIO IPSO.

WRATISLAVIAE,
SUMTIBUS W. A. HOLÆUFERI.

Theses.

1) Veteri Germaniae neque fixas populorum sedes neque urbes nec denique arces defuisse.

2) Lacisburgum Ptolomaei hodiernam esse urbem Ratzeburg.

3) Tria fuisse Asciburga veterum, unum Silesiae, alterum Essenberg prope Duisburg ad Rhenum tertium Doesburg Bataviae hodie appellatum.

4) Poëtae veteres in rebus historicis et geographicis majore fide digni sunt, quam nostrates poëtae.

5) Ptolemaei Geographiam in itineraria resolvendam esse, ut locorum situs cognoscantur.

6) Hesiodus in Theogon. v. 379. et 380. quatuor, non tres ventos Astraeo genitos commemorat, quamobrem excusatione hic locus non eget.

7) Numantiae situs is est, quem Mariana descripsit, 4 leucas communes Hisp. a Soricia boream versus ad Teram fluvium, prope Teram vicum ignobilem, erratque Reichhardus recentissimus tabulae Hispaniarum editor in hac urbe collocanda.

Index partis prioris.

Auctor, B. Lectori.

S. Q. P. D.

Anno 1817 cum libellum de dimensionibus Ponti Euxini, Bospori, Thracii, Propontidis et Hellesponti, deque pontibus Xerxis et Darii, quibus Asiam et Europam junxere, scriberem, volui etiam de ponte Darii, quo Ister junctus est, disserere eaque statim subjungere, quae Herodotus de loco hujus trajectus scripsit. Sed ingentem ibi inveni tabularum geographicarum discrepantiam, et cum nonnullas tabulas, quas maximi momenti ad has regiones describendas credidi, nondum vidissem, substiti, neque ultra australiora Thraciae litora progressus sum. —

Variis laboribus, quorum fructus ex parte quidem in lucem edidi, ad hunc usque diem distractus, rem integram rejeci; sed cum anno 1819 mense Septembri inter doctores huius academiae quos vocant legentes, referri cuperem et venia legendi benigniter mihi concessa esset, tamen opus erat disputatione semestri exacto instituenda, et dissertatione, quam defenderem. Ita quidem ortum est hoc opusculum.

At vero, qui illud opusculum de Ponto Euxino [1]) imprimendum curavit, Holäuferi bibliopolae sumtibus et haecce dissertatio prodiit. Abs quo rogatus nexum inter utrumque librum in titulo statim indicavi.

De iis, quibus usus sum subsidiis, B. L. praefationem velim consulas. Tabulam meam Mentzelius lithographus diligenter expressit. Si in ea erraverim, errare humanum esse, cogita, sin autem meliora quaedam et formam harum regionum verius delineaverim urbesque rectius collocaverim, non mihi velim omnia, sed viris etiam, quos in praefatione laudavi, illustribus, et fortunae ipsi tribuas plurima.

Caeterum, absolutam nndum esse hanc disquisitionem, ego probe scio. In ipso loco opus est investigatione, sed quis est, qui rem tam fructuosam esse arbitretur, ut talia incommoda patiatur, qualia Manzolius exploratori esse sustinenda confirmat? [2]) Interim his utere mecum.

Vale B. L. mihique fave!

scripsi Wratislaviae die 1. Mart.
A. O. R. MDCCCXX.

---

1) Über Herodots Ausmessung des Pontus Euxinus, des Bosporus Thracius der Propontis und des Hellesponts, so wie über die Brücken der Perser, wodurch sie Europa und Asien verbunden. Mit 2 Charten. Breslau, bei A. W. Holäufer.

2) Cf. Praefationem meam s. f. Excepta ex Manzolii Galatiensis literis.

PRAEFATIO.

In superficie orbis terrarum maximas mutationes accidisse, non μῦθοι solum tradunt, sed historia etiam idoneis argumentis comprobavit, ut Manilianum illud 1):

Omnia mortali mutantur lege creata,
Nec se cognoscunt terrae vertentibus annis,

haud incommode dictum videatur. Plinius 2): *varie, inquit, quatitur (terra), et mira eduntur opera, alibi prostratis moenibus, alibi emissis amnibus, nonnunquam etiam ignibus calidisve fontibus, alibi adverso fluminum cursu. Idem fere Lactantius* 3), *de humanarum rerum fragilitate disserens, ait: possum enumerare, quoties repentinis quassatae motibus vel hiaverint terrae, vel desederint* 4) *in abru-*

1) Manilius l. i. v. 517.

2) Plin. Hist. nat. II, c. 80.

3) Lact. L. VII. c. 5. de vita beata.

4) desederint -- vulgo descenderint. Lectionem exscripsit Cell. ex duobus Lips. codd. et Goth. meliorem. Boethius 3, Metr. 4.

Nunc summis caput inserit,
Nunc desidit in infima.

ptum; quoties demersae fluctibus et urbes et insulae abierint in profundum; frugiferos campos paludes inundaverint; flumina et stagna siccaverint, caet.

Eratosthenes 5) *de forma habitatae terrae disputans, etiam* τῶν ἐν μέρει μετασχηματισμῶν *orbis terrarum meminit,* οἳ συμβαίνουσιν ἔκ τε ὕδατος, καὶ τοῦ πυρὸς, καὶ σεισμῶν, καὶ ἀναφυσημάτων, καὶ ἄλλων τοιούτων. *Quis tandem est, qui veteribus et recentissimis conclamatam rem ignoret, maria olim celsiora Asiae, Europae, Lybiae loca obtexisse, in cujus rei testimonium longo a mari intervallo* λιμνοθάλατται *supersunt et ad duo vel tria stadiorum millia a mari in mediterraneis multis locis* κόχλων καὶ ὀσφέων καὶ χηραμίδων πλῆθος 6). — *Recentissimis temporibus multa in hanc rem argumenta ab eruditis congesta sunt. — Natura locorum omnia ciens et agitans motibus ac mutationibus suis, tandem et ipsa mutatur, et sensim nunc moliens, mox impetu quodam, et vim haud exiguam exserens operatur. Tales quotidianae, ut ita dicam, mutationes, haud exiguo impedimento sunt Geographo, qui hodie aliam terrarum formam conspiciens, aliam a veteribus descriptam cognoscens, saepe*

---

5) Eratoshenes ap. Strabonem Rer. Geogr. L. 1. p. 49.

6) Scripsit copiose de talibus mutationibus Strabo p. 50 -- 57. Secundum Stratonem, Demetrium, Posidonium et Athenodorum. Docet Aegyptum etiam usque ad paludes prope Pelusium et Serbonidem lacum inundatam quondam fuisse.

de veritate vel veterum auctorum, vel recentiorum scriptorum ambigat, necesse est. Maximopere hae difficultates in describendis fluviorum ostiis et littoribus marium occurrunt, cum omnes fluvii praesertim ad ostia, quotidianis et continuis quasi mutationibus obnoxii inveniantur, cujus rei testimonia plurima jam a Strabone 7) allata invenio. Allegat hic auctor oraculum de Pyramo Ciliciae editum:

Ἔσσεται ἐσσομένοις, ὅτε Πύραμος εὐρυοδίνης
Ἠιόνα προχέων ἱερὴν ἐς Κύπρον ἵκηται.

Idem asserit de omnibus fluviis in Ponticum mare influentibus 8). Accedit, quam καθαρσίν τινα τῆς θαλάττης Graeci appellarunt, rejectio omnium cadaverum et naufragiorum fragminum ad terram, unde tota maria ingesto limo expleri posse videbantur, facto a litoribus initio. Studium operamque in Geographia antiqua collocantibus hoc non levissimum est incommodum, si ad ostia fluvii cujusdam, vel litora maris describenda pervenerint. Tamen et haec tractanda, neque pro naturali hujus studii difficultate abjicienda sunt. Sed quo clarius quisque faciem formamque terrarum, quae et est, et fuit, perspexisse sibi videtur, eo magis necessaria est delineatio regionis, ut uno obtutu, quid vitii adhuc insit, praestantiores geographiae

---

7) Strabo I, p. 53.

8) Istrum fluvium etiam in numero eorum esse, qui ostiorum faciem aggesto limo saepius mutaverint, infra exponam.

magistri intelligere queant. Propterea tabulam geographicam et ego huic meo opusculo adjunxi.

Sed „ardua res est, inquit Plinius 9) *vetustis novitatem dare, novis auctoritatem obscuris lucem, dubiis fidem" caet. et omnino in nulla re magis, quam in hac disquisitione intellexi, in geographia antiqua feliciter tractanda diligentiam et assiduitatem in veterum scriptorum voluminibus iterum ac saepius tractandis non sufficere, sed etiam quam accuratissima hodierni locorum status cognitione opus, et omnibus diligenter comparatis, antiqua ex recentioribus recentiora ex veteribus scriptis illustranda esse.*

Prae omnibus autem subsidiis praestantiores tabulae geographicae, tam recentiorem, quam veterem formam regionis circa Istri ostia exhibentes, recensendae et breviter perlustrandae videntur, ut quae maxima momenta ad confirmandam rerum auctoritatem afferant,

Geographia antiqua his in regionibus recentiorem antecessit, et tabulae geographicae hodiernum statum repraesentantes ex descriptionibus veterum potissimum prodierunt 10).

---

9) Plin. Hist. Nat. praef.

10) Id causae est, cur in mappis nostris, Turcicum imperium exhibentibus, saepius loca inveniantur, quae omnino non adsunt. Sic tenacissimae fuerunt urbis Tomiswar, quae antiquos Tomos retulit, quamvis non existente hujus nominis urbe. cf. de Hammer Hadschi Chalfa p. 193: „Von einer Stadt Tomiswar,

Cellarius 11) *et Nic. Sansonius* 12) *primi fuerunt, qui uberrime veterem geographiam hujus regionis tractarunt, nomine antiquo ad haec loca pertinente non facile omisso. Sed omnia non nisi ex descriptionibus veterum saepe parum accuratis desumentes, nulla recentioris status cognitione firmati, omnia denique ad libitum miscentes, tabulas delinearunt arbitrarias et veritatis luce carentes.*

Marsilius 13) *inde praeclare de geographia Danubii superioris meritus, in splendido suo opere, quod confecit, mendis non carente* 14), *usque ad pontem Trajani tantummodo accuratiorem praebuit delineationem. Ostia*

---

die in den meisten Charten angemerkt steht, ist in der ganzen Dobruzischen Tartarey nichts zu erfragen."

11) Cellarius in Tab. G: Pannoniae, Moesia, Daciae, caet. ad C. II, Cap. TII. Geogr. antiq. cf. de ostiis p. 586, Lips. 1701. Omitto, quos ipse auctor vocat, conatus Ortelianos, et Philippi Brietii in geogr. parallela, quibus si quis curam intenderit majorem, illico, perspiciet, hos viros ut antecessores Cellarii fuerint, ita multo inferiores ipso in rebus Geographicis fuisse.

12) cf. Nicolai Sansonis 1. Illyr. Orient. prov. XI. Nr. 54. 2. Ponti Euxini Periplus Nr. 73. in opere N. Sansonis et filiorum, quod sub tit. „Atlas antiquus sacer ecclesiasticus et profanus„ edidit Clericus Amstelod. a. 1705.

13) A. T. Marsili Danubius Pann. Mys. (Hag. 1726.)

14) Griselini incuriam ejus vituperat etiam in iis regionibus, in quibus describendis summae fidei speciem prae se fert. cf. Griselini Geschichte des Temeswarer Bannats II, 55.

Danubii a Marsilio 15) *negligentius sunt picta, sive potius male solum adumbrata, et Homanni cura* 16) *in delineando totius Danubii cursu parum profuit, sed potius gravem errorem in delineatione ostiorum induxit, cum maxime australe ostium a Kersowo urbe ad Chiustenge per magnum lacum deduceret, ubi plane nullum est ostium* 17).

Post quadragesimum superioris saeculi annum et ante quinquagesimum D. C, Harenberg 18), *Hasius* 19) *et Koehlerus* 20)

15) Marsilius cursum inferioris Danubii reliquit, fauces et angustias Haemi montis exploraturus.

16) Tabulam edidit Danubii fluminis Nor. (sine anno.)

17) Hic error diutissime vexavit Geographos usque ad Gattererum et Barbié de Boccage. Ortus videtur ex duobus lacubus Südgöli et Karasou paullulum inter se distantibus, quorum alter (Südgöl) in mare exit supra Kustendsché, alter in Danubium prope Rassovat decurrit. Isthmo exiguo interjacente sublato, omnino hic esset ostium maxime australe.

18) Harenberg. Imperii Turcici terra et imprimis Graecia ad intelligendos scriptores N. T. caeteresque Graecos et Latinos accommndato adornav. I. O, Harenberg cur. Hom. haer. a. 1741.

19) Hase I) Asiae Minoris. Pont. Eux. etc. tab. imp. Hom. haer. a. 1745. 2) Hungariae, Romeliae, Turcicae etc. tab. ev recentissimis pariter et antiquissimis relatt. et monum. concinnata a. 1744.

20) Atlas antiquus Koehleri (a. 1745) Tab. 20. Pannonia Dacia et Mysia. Koehlerus mendum fugit, quod in ostio maxime australi Hásius, in duobus mappis Homanni tabulam secutus, commisit, Koehlerus enim Cellarium potius exscripsit.

geographiam antiquam hujus regionis tractarunt; sed quam parum fidei tabulae hoc tempore delineatae mereantur, jam ex eo, quod Hasius ingenue profitetur, intelligendum est. Etenim „plus simplice vice, inquit: in regionibus, quae Turcarum imperio subsunt, propter aditus difficultatem sine monumentis antiquis Itinerariorum Antonini, Augustani, Arriani etc. geographiam nihil posse: ideoque non tam ad explenda spatia, quae vacua relinquenda fuissent, quam ad rationem mearum hypothesium oculis exhibendam, locorum veterum situum et ductuum itinerariorum vestigia ductis lineis repraesentare, e re Geographiae studiosorum esse duxi“ 21). *D'Anvillium, quamvis non melioribus subsidiis instructum* 22) *sed divino fere ingenio praeditum, quo adjutus verum a falso facile internosceret, his regionibus singulare studium non tribuisse, valde dolendum est. Bellum a. O. R. 1768 a Mustapha III. Russis ultro illatum, mox vero victoribus Russis in Turcicum solum ad ostia Danubii translatum,*

---

21) Haec ingenue disputata, in nota tab. Hungariae legimus, altera tabula Hasii Pontum Euxinum repraesentans iisdem fere verbis lectorem de notitiarum sufficientium defectu his in regionibus, obstante barbarie Turcarum, praemonitum voluit.

22) D'Anville Orbis Rom. pars orientalis. Par. 1768. I. in offic. Weig. et Schneid. Nr. 1787. Secutus est et ipse tabulas geographicas, quae maxime australe ostium per paludes Südgöli et Karasou, quamvis Haemi montis tractu disjunctas, decurrens pinxerant.

has regiones, de quibus antea nihil fere sciri, nihil penitus cognosci poterat, cultioris populi armis patefecit. Rizzi Zannoni tabulam inde geographiam edidit 23) innumeris mendis purgatam, eamque hujus regionis primam, quae tabulae geographicae nomen mereatur. Paludes Südgöli et Karasou recte isthmo dirimuntur, ut ostium maxime australe in alveum borealiorem restringatur. Nihilo vero minus Gattererus 24) et Barbié de Boccage 25) antiquum errorem de ostiis Istri retinuerunt, D'Anvillianis, ut apparet schedis nimiam fidem habentes. Ipse enim Barbié in titulo tab. geogr jam laudatae, se maxime d'Anvillianas tabulas exscripsisse profitetur.

A. O. R. 1789—90. iterum in Ponticis regionibus bellum prope Istri ostia gestum est, sed geographis parum inde commodi accessit, cum nemo novam tabulam ederet. Interjecto tem-

---

23) Rizz. Zannoni Carte de l'empire Ottoman. 1774. à Vienne 1777 Est hujus Geographi celeberrimi accuratior delineatio in plures sectiones divisa.
Huc pertinet Pl. I. Nr. 56.

24) Gattereri Tab. Geogr. Thraciae secundum Herodotum et Thucydidem in Commentt. de Thracia Herodoti ac Thucyd. Comm. Gott. ad ann. 1782--83. -- Segm. tabulae hujus auctoris vide ad marginem Tabulae meae Nr. I.

25) Barbié de Boccage Tab. Geogr. Palud. Maeot. et Ponti Eux. in opere Barthelemii cel. Voyage du jeune Anacharsis. Segmentum, quod huc pertinet, exhibui Nr. IV. ad marginem tabulae meae.

pore medios inter Turcas, Graecus quidam, cui Ῥῆγα nomen, natione Thessalus, exstitit, qui omne Turcarum in Europa imperium duodecim maximi moduli mappis concinnaret. 26) *Sine idoneis subsidiis tabulas, quas habuit minores, in augustiorem formam extendens, nomina vetera recentioribus commiscens et cuncta ex ingenio delineans, primam historiae legem, ne quid falsi dicere auderet, nescisse videtur. Itaque opus maximum perfecit, quod omni veritatis candore caret. Attamen speciosa ubertas hujus tabulae Turcis adeo displicuit, ut auctorem tamquam patriae proditorem capitis supplicio affecisse dicantur. Quamdiu hanc tabulam non videram, vehementer eam desideravi; visa omnino inutilis rejecta. Paucissima fatalis hujus operis exemplaria servata sunt, quam ob rem idem* Muellerus, *qui aere inciderat, tabulas Regae post obitum ejus mutato*

---

26) *ΧΑΡΤᾺ ΤΗΣ ῾ΕΛΛΑΔΟΣ κ. τ. λ. τά πλείω μέ τάς παλαίας καὶ νέας ὀνομασίας — ἐν σῶμά εἰς XII τμήματα ἐκτοθεῖσα παρά τοῦ ΡΗΓΑ ΒΕΛΕΣΤΙΝΛΗ ΘΕΤΤΑΛΟΥ.* MDCCXCVII. *ἐχαράχθη παρὰ τοῦ φρανσὺα Μῆλλερ ἐν Βίεν.* cf. Segmentum in arctius reductum hujus tabulae meae Nr II. Seetzen, in literis d. 24. Febr. 1803. Constantinopoli datis, scribit, esse quendam Francogallum Constantinopoli, cui nomen Ricard, qui tabulas 52, Turcicum imperium continentes, aere incideret. De hoc nihil certi comperi, et vererer, ne idem sit *῾Ρηγα*, de quo locutus sum, nisi Seetzen vir tantae eruditionis auctor esset hujus nuntii.

aliquantulum suo omnino auctoris nomine, alteram paulo minorem editionem una cum Anthimo Gaza curavit. 27) *In hac nova tabula menda, etsi in arctius contracta, manserunt omnia, et eadem poena dignus fuisset auctor, non propter patriam proditam, quam tales tabellae prodere non possunt, sed propter Musas doctrinarum praesides iterum graviter lacessitas.*

Walchius Vindobonae 28) *eodem anno, quo* Ῥῆγα, *mira negligentia tabulam edidit, veteres errores recoquens et Zannonii tabulis non usus.*

Götze in tabula Ponti Euxini 29) *leviter tantum attigit Danubii ostia, sed recte paludes Südgöli et Karasou distinguit.*

Novum Saeculum, plures viros omni eruditione excellentes ad rem nostram adduxit, sed obiter tantum difficultates tractarunt. Rennellius 30) *uberrimus in describendis Asiae*

---

27) *ΠΙΝΑΞ ΓΕΩΓΡΑΦΙΚΟΣ τῆς ῾ΕΛΛΑΔΟΣ, μέτα παλαία καί νέα ὀνόματα. ᾿Επιδ᾿. ὑπό ᾿Α. ΓΑΖΗ Μηλιώτου καὶ ἐκδοθείς παρά ΦΡΑΝΣΟΑ΄ ΜΥΛΛΕΡ.* a. 1800. *ἐν Βιέννῃ.*

28) Imperii Osmannici et Turcici tabula ad normam recentissimarum observationum concinnata sumtibus Joh. Walch. Vindob. 1797.

29) Götze Charte des schwarzen Meeres; Weimar 1800.

30) Rennell, Western or Euxino Scythia with the surrounding Countries and the March of Darius Hystaspis in ej. auct. Geogr. System of Herodotus 1800. Rennellius iis nondum snbsidiis instructus erat, ut jam ac-

regionibus atque Scytharum eremis, in Thraciae limite, quo Ister in Pontum defluit, subsistit, Darii pontem indicans tantum, non confirmans. Barbié de Boccage errore convictus, quem in collocando ostio maxime australi commiserat, novam tabulam magis a d'Anvillio recedens exaravit a R. O. 1804, sed formam terrarum non minus incongruam expressit, tametsi nomina ostiorum Istri mutaret ac seriem. Nam quae de Peuce insula disputavit, omnino infirmi sunt argumenti et teneri non possunt. Caeterum laudanda est auctoris integritas, qui, aucta de regionibus antea minus perlustratis cognitione, serius aliam sententiam protulit, prius aliam habuerat.

Reichardus 32), *de Lichtenstern* 33)

---

quiesceret, celeberrimum de Hammerum, Tomorum vestigia indagantem, rogasse videtur, ut harum regionum accuratiorem descriptionem ad se mitteret. Hic tabellario publico, natione Russo, tabulam suam, summo labore concinnatam, Rennellio perferendam tradidit, quo vero a Turcis capto et interfecto, omnis labor aegre reparandus interiit. Haec ex epistolis de Hammeri exscripsi. Segm. tab. Renn. vid. Nr. V. marg.

31) in St. Croix examen critique des historiens d'Alexandre le Grand Paris 1804. Segmentum hujus tabulae, quod huc pertinet, vid. in marg. tabulae meae Nr. III.

32) Charte v. schwarzen Meere entw. beym Russ. Kais. Chartendepot in St. Petersb. Red. v. Reichard Weimar 1805.

33) Bendowsky Generalcharte v. d. Europ. Theil d. Türk. Reichs nach dem Entw. und den Angaben des H. J. M. Freyherrn v. Lichtenstern. Wien 1806.

et Reinecke 34) novas inde tabulas edentes, nonnulla menda sublevarunt, sed bellum Russicum a. 1809 ortum, iterum secretiora Turcici imperii recludens, tabulae geographicae multo caeteris praestantiores secutae sunt.

Palma 35), Herbitz 36), Danielow 37) et Riedl 38) partim plurima nova retulerunt, et belli a. 1809, 10 et 11 expeditiones et itineraria in usum geographorum convertisse videntur, partim etiam Hadschi Chalfae accuratiori descriptione Rumiliae et Bosnae plures lacunas in tabulis percommode expleverunt. His tabulis nixus Gailius a. 1815 in tabulis geographicis ad Xenophontem suum unam exhibuit, regnum Odrysarum complectentem, in qua etiam Danubii ostia et pons, quo Darius Istrum stravit, repraesentantur. Serius adhuc Reichardus 39) totius Turcici imperii delineatio-

34) Reinecke Charte v. Türk. Reiche in Europa. Weimar 1807.

35) *ΧΑΡΤΗΣ τῆς ΕΥΡΩΠΑΙΚΗΣ ΤΟΥΡΚΙΑΣ πάλαι μὲν ῾ΕΛΛΑΔΟΣ παρὰ Γαετάνȣ ΠΑΛΜΑ ῎Εϑος* 1801 *ἐν Τεργεςίῳ.* Palmam imprimis Arrowsmithii schedas exscripsisse, alii sunt auctores, ego nec refellere, nec confirmare ausim, cum has tabulas non viderim.

36) Carte de la Moldavie. Vienne 1811.

37) Danielow Magna Russici imperii expositio in 2 segm. divis. Vindob. 1812.

38) Riedl General-Charte v. Rumili nebst Morea und Bosna. Wien 1812.

39) Reichard: Der Europ. Theil des Türk. Reichs Nürnb. 1816.

nem iterum instituit. Tandem V a u d o n c o u r t *40) accessit, quem Napoleon imperator vario nuntiorum genere a plurimis per Turcicum imperium exploratum emissis exornatum voluit 41).*

Inter recentiores n e m o s i n g u l a r i s t u d i o I s t r i o s t i a t r a c t a v i t, quod eo magis dolendum est, quo magis omnes, hae, quae recensui, tabulae geographicae vehementer discrepent. Plurima e p h e m e r i d e s in relationibus Russorum de rebus prope Danubium gestis continent, nam neque K a n t e m i r u s in descriptum Moldaviae, 42) qui uberrimus esse poterat, neque etiam Neo-Graecus Φιλιππίδης in historia Rumuniae 43) neque multo minus M e l e t i u s in Geographia iterum edita ab Anthimo Gaza 44) eas partes in se susceperunt, ut res

---

40) Vaudoncourt Carte Generale de la Turquie d'Europe à la droite de Danube dressée d'après les meilleures Observations Astronomiques, Itineraires, Cartes particulieres et Reconnaissances existantes jusqu'à ce jour. 1818. IV. Fol.

41) cf. Memoire annexé à la Carte de la Turquie d'Europe etc. de Vaudoncourt. München Reinhart 1818.

42) D e m e t r i i K a n t e m i r Beſchreibung der Moldau, Frankf. und Leipz. 1771.

43) *Φιλιππίδης — ΙΣΤΟΡΙΑ τῆς ΡΟΥΜΟΥΝΙΑΣ ἢ ΕΚΘΕΣΙΣ τῶν ἀξιολογωτέρων μνημονευομένων συμβάντων ἐν τοῖς ἀριστεροῖς κάτω παριστρίοις κ. τ. λ. ἐν τῇ τυπογραφίᾳ τοῦ Ταυχνίτζ* 1816.

44) *ΜΕΛΕΤΙΟΥ ΓΕΩΓΡ. ΠΑΛΑΙΑ ΚΑΙ ΝΕΑ* etc. *ἐξεδόθη τὸ Δεύτερον ὑπὸ ΑΝΘΙΜΟΥ ΓΑΖΗ τοῦ Μηλιώτου — ἐν ΒΕΝΕΤΙΑ* 1807.

quadammodo impeditas majori cura expedire studerent. — De caeteris taceo. —

Neque ego in tanta penuria notitiarum certarum atque in hac tabularum geographicarum discrepantia ausus fuissem, hanc viam scopulis ac spinis asperam primus ingredi, nisi nonnulla certe impedimenta recentiorum virorum illustrium liberalitate atque industria adjutus removere posse credidissem, in aliis sublevandis fortuna ipsa annuisset. Cum enim mihi contigisset, ut tabulam geographicam manu pictam Lipsiae nanciscerer, quae Bessarabiam et Tartariae partem, quae dicitur Dobrucciae, et expeditiones bellicas Russorum et Turcarum inde ab initio belli Turcis illati a. 1787 usque ad Gallaz urbem expugnatam Cal. Maj. a. 1789. accuratius ante oculos poneret: spes mihi crevit, fore, ut ejus ope plurima illustrare possem. Exercituum et Russorum et Turcarum dispositiones, castra munita, pontes castellis firmati et classium ordines, quae omnia in ephemeridibus obiter tantum commemorata fuerunt, in hac tabula accuratissime expressa conspiciuntur, ut auctor ipse particeps rerum habendus sit. Russum fuisse auctorem tum ex eo colligi potest, quod in explicatione rerum bellicarum Russorum copias primo loco disposuit, tum ex linguae Germanicae, qua in rebus explicandis usus est, asperitate. Adii vero, ut de auctoritate hujus tabulae me ipse confirmarem, libros geographiam Bessarabiae, et Moldaviae accuratius describentes, adii itineraria peregrinantium, quorum relationes conferendas censui,

ut ex collatione omnium aliquid tandem certi ac probati eruerem e. g. Tottii 45) Mikoschae 46) Clarkii 47) et de Hammeri 48) itineraria; adii denique recentioris historiae auctores, qui superioris saeculi bella descripserunt, et ephemerides, ex quibus uberrimum fructum percepi. Omnia haec cum tabula mea consentire intellexi, et non nisi in dextra Danubii ripa nonnulla nomina ignobilium locorum, quae in ephemeridibus 49) notata inveneram, desideravi. Ita quidem de fide hujus tabulae geographicae in universum persuasus, eamque antiquorum etiam scriptorum descriptionibus subjiciens, miram cum Ptolemaeo caeterisque concordiam reperi, quod novum neque id pro tabulae hujus fide levissimum esse argumentum existimaverim.

---

45) Tott Memoires sur les Turcs et sur les Tartares à Amsterd. 1784. cf. Peyssonel, Marquis de, lettres, contenants quelques observations relat. aux memoires, qui ont paru sous le nom de Mr. le Bar. de Tott Par. 1784. — Essais de Géographie etc. sur les possessions des Turcs en Europe par Mr. L. B. D. M. D. L. pour servir de suite au Mem. de Bar. de Tott. à Paris 1785. -- Tott vernaculo redditus. Elbing 1786.

46) Mikoscha Reise durch die Moldau -- per Istri navigantis -- nach der Türkey.

47) Clarke travels in var. countries of Europa, As., and Afr. Cap. 9 seqq.

48) Cl. de Hammer Itineraria, versioni Hadschi Chalfae Rumiliae et Bosnae addita.

49) Uberrimas notitiae praebuerunt Polit. Journal et Allgem. Zeitung.

Itaque hanc in primis mappam sequi, quam ex caeteris omnibus mire discrepantibus, quid placeret, eligere cum praeoptarem, novam meam Istri ostiorum et regionum circumjacentium tabulam delineavi, eamque Cl. Hammero, Vindobonensi, Orientis diligentissimo pervestigatori eidemque αὐτόπτῃ cum litteris misi sententiam rogans, simulque ut, si quae nova haberet subsidia, mecum ea benevole communicaret. Humanissime respondit Vir Illustris. Expositionem meam suo judicio comprobavit, et alterum subsidium mihi reddidit, litteras scilicet viri Galatiensis, cui Manzolio nomen, quem ipse ad explorandu inferiora Istri ostia (paucis ante annis frustra) excitaverat. Ille quidem a. 1816 *iterum rogatus, tandem expeditionem in Istri ostia, Tomorum circa lacum Rasomo indagandorum causa, ablegaverat. Missi tres fuerunt piscatores, unus Neo-Graecus Graecam*

---

51) Hae litterae datae sunt Gallaz d. 10. Aug. 1816 auctore Giuspe Manzoli De Corolai, Starosta Austriaco. Expeditio, de qua loquitur, redierat d. 23. Jul. 1816. Ex descriptione ejus egregie percepi, quam esset difficilis harum regionum et durante pace, exploratio. Scripsit inter alia, Italo sermone usus: Diese unternommene Expedition kostet mir im Ganzen 215 Piaster. Leute, wie man sie bedürfte, findet man nicht. Wenn ich „solo" gehen wollte, so würde ich erkannt werden, und würde, wie es mir scheint, ohne einen Firman nicht gehen können, weil sie mich als eine öffentliche Person kennen. Auch müſste ich wenigstens 40 Tage in diesen Wüsten auſser Hause seyn, wo es nichts anders als Fische zu essen giebt. Ew. mögen nun überle-

et Latinam linguam edoctus, quibus quintus socius additus erat, qnem: „un C a s c o" Italo idiomate, appellat Manzoli. Timore autem Turcarum et naturae ipsius regionis correptus, mox Graecus fugam capessit, et piscatores parum idonei regionum exploratores fuerunt, qui literarum ignari inscriptiones, quae omnino adhuc in nonnullis castellorum ruderibus inveniuntur, legere non possent. His literis addita erat, incomta delineatio inferiorum ostiorum, quam Manzolius ipse exaraverat. Nihilo vero minus nonnulla ex hac relatione gratissima mihi fuerunt, de quibus infra plura sum dicturus. —

Tertium, quod mihi contigit, peculiare subsidium, magna est tabula geographica in usum belli a. 1811 *elaborata, quae vero, cum in usum publicum converti non liceat, a me etiam ita tantum in Geographia antiqua adhibita est, ut vulgatas tabulas ad eam epicrisi subjicerem,*

---

gen, ob dies sich thun lasse, und mir schreiben. — Dieser See wird jährlich für 18000 Piaster verpachtet, und man erhält die Fischaccise sehr leicht, wenn man nur Compagnie mit einem Türken machen kann. Aber wo sind 18000 Piaster zur Auslage? Wenn man Compagnon eines Türken wäre, würde man unter dem Vorwande, daſs man beschäftigt wäre, Fische nach Transylvanien auszuführen, Zeit haben, hinreichende Untersuchungen anzustellen, und wenn Steine da sind, sie mit Muſse zu heben, so weit sich dieser See erstreckt. Auch würde man gewinnen, und zugleich sein Geschäft zu Stande bringen. Aber ich weiſs nicht, ob mein Vorschlag wird angenommen werden."

neque cauterer, nisi destitutus a caeteris, paucissimis diligenter notandis locis.

Et haec quidem sufficiant de tabulis geographicis et auctoribus recentioribus, qui de Istro uberius scripserunt. Non necesse est, ut et recentiorum plures et veterum auctorum nomina recenseam. Infra passim occurrent, qui ad rem illustrandam facient. Exspectabam quidem ex Russia adhuc manuscriptum, quoddam de Istri ostiis, quod Adelungius, nobilis vir, Germanorum in longinquis regionibus decus, in urbe Mohilew se videre meminit, sed cum longa mihi dies videretur, qua particeps ejus fieri possem, et variis temporum flatibus impellar, ut ancoras solvam, vela dabo, et quae nova quaeque veriora inde hauserim, alio tempore tradam, nunc quidem gloriola contentus, si nonnulla tantum loca clariore quadam luce collustraverim.

Parte I. itaque: de fluvio ipso, de ponte Darii Istro imposito, deque insulis hujus fluvii agam;

Parte II. De regionibus circumjacentibus, deque populis et urbibus harum regionum locuturus.

Pars I.

De fluvio Istro, de ponte Darii Istro imposito deque insulis ostiorum.

Cap. I. *Nomen Istri fluvii.*

Ister fluvius sive Danubius, Homero [1]) et Argonauticorum, quae sub Orphei nomine circumferuntur, auctori, ut videtur, inauditus primum per Hesiodum θεόλογον Graecis innotuit, de fluviorum generatione ita canentem: [2])

Τηθὺς δ' Ὠκεανῷ ποταμοὺς τέκε δινήεντας
Νεῖλον τ' Ἀλφειόν τε καὶ Ἠριδανὸν βαθυδίνην,
Στρυμόνα, Μαίανδρόν τε καὶ Ἴστρον καλλιρέεθρον.

Paullo vero post expeditionem Darii adversus Scythas, et jam antea, post colonias a Mile-

1) Strab. p. 298.

2) Hesiod. Theog. v. 337.

siis potissimum in borealiora Ponti Euxini litora deductas, frequentissime a Graecis adiebatur, teste Herodoto [1]), qui ipse Thraciam peragratus admirabili locorum peritia flumina in Istrum decurrentia a Brongo scilicet et Mago usque ad ostia recenset. Quid? quod etiam fontes *Istri* [2]) apud Pyrenen urbem et Alpim et Carpim (duos fluvios in superiorem Danubium incurrentes) auditu cognovit. Pindarus etiam de *Istro* tantum audivit, nil de Danubio; ἐλαίας enim meminit [3]),

---

1) Herodot. II, 34. ὁ μὲν δὴ Ἴστρος ῥέει γὰρ δι' οἰκευμένης, πρὸς πολλῶν γινώσκεται. Secutus esse videtur, ut Ukertus (in Damaste et Hecataeo p. 16 et 17.) recte observat, Hecataeum πολύτροπον, Milesium caeterosque Milesios auctores, Thaletem, Anaximandrum, Anaximenem, Cadmum caet. quorum populares plurima commercia per Scythiam agebant.

2) Her. II. 35. Ἴστρος τε γὰρ ποταμὸς ἀρξάμενος ἐκ Κελτῶν καὶ Πυρήνης πόλιος. Eodem fere modo Procopius de aedificiis l. IV. c. 5. Κάτεισι μὲν ἐξ ὀρέων τῶν ἐν Κελτοῖς ποταμὸς Ἴστρος, οὓς τοινῦν Γάλλοι ἐπικαλοῦνται. Et recte hoc de Celtis dici antiquitus potuit, cum Germanis recens nomen (Tacit. Germ. 2.) nondum additum esset.

3) Pindarus. Olymp. III. 25. cf. 46. VIII. 63. Schol. ad h. l. Pindari interpretatur Ἴστρος, ὃς νῦν Δανούβιος λέγεται.

— — τάν ποτε
Ἴστρυ ἀπὸ σκιαρᾶν παγᾶν ἔνεικεν
Ἀμφιτρυωνιάδας,
Μνᾶμα τῶν Ὀλυμπίᾳ κάλλιστον ἄθλων.

Neque aliud hujus fluvii nomen agnoscit Thucydides [1]). Antiquissimis igitur temporibus *Istri* nomen totum fluvium usque a fonte designasse, ex locis laudatis intelligitur. Serius, cum Romanis armis Germania patefacta esset, nomen Danubii etiam audiebatur. Sed non statim totum fluvium ita appellarunt. Marcianus Heracleota (p. 51. ed. Huds.) ἀμείβων, inquit, τὸ ὄνομα Danubius postea Ister vocatur. Agathemero auctore [2]) Ἴστρον μέχρις Οὐϊνδοβένης πόλεως Δανύβιον καλοῦσιν.

Strabo [3]) apud catarractas nomen immutari contendit. Ptolemaeus tandem [4]) τὴν κατὰ Ἀξιούπολιν ἐπιστροφὴν metam indicat, ἀφ' ἧς Ἴστρος ὁ ποταμὸς καλεῖται ὁ Δανύβιος μέχρι τῶν ἐκβολῶν.

1) Thucyd. hist. III. 96.

2) Agathemer. Geogr. p. 222. ed. Gronov. p. 38. ed Huds.

3) Strabo Rer. Geogr. α VII p. 304. καὶ γὰρ τοῦ ποταμοῦ τὰ μὲν ἄνω καὶ πρὸς ταῖς πηγαῖς μέρη μέχρι τῶν καταῤῥακτῶν, Δανούβιον προσηγόρευον, ἃ μάλιστα διὰ τῶν Δάκων φέρεται.

4) Ptol. Geogr. Cap. VIII. ΔΑΚΙΑΣ ΘΕΣΙΣ.

Nonnulli vero scriptores inferiorum saeculorum *Danubii* nomen etiam in ostiis retinent, ut Tabula Peutingeriana, quae „hostia Danubii" scribit, et ipse Tacitus in Germania 1. Istri nomen etiam in ostiis silentio praeteriens. — Accedit Jornandis (de Reb Get. Cap. V.) testimonium, cui „Histri alveus dicitur Danubius ab ostio suo usque ad fontem." et sigillum ducis Scythiae, in quo: Danuvius fluvius „Arubium, Aegyssum, Thalamonum, Cium, Bireum Flavianam et Capidanam" (l. Capidavam) dictas praeterlabitur urbes. cf. J. Pancirolii Commentar. in Not. Imper. p. 235.

Id vero in universum observatu dignum videtur, Graecis potissimum *Istrum*, Latinis *Danubium* nuncupatum fuisse fluvium.

Caesaris demum temporibus innotuit Danubii nomen, initio ignorantibus scriptoribus, hunc eundem fluvium esse atque Istrum. Diodorus Siculus e.g. hac duplici appellatione inductus post Istri fluminis satis distinctam descriptionem [1]) alio loco *Danubium* perverse sicut Rhenum in Oceanum [2]) defluere contendit,

---

1) Diod. Sic. IV. 56.

2) Diod. Sic. V. 304. *τῶν* inquit *δ'εἰς τὸν ὠκέανον ῥεόντων μέγιστοι δοκοῦσιν ὑπάρχειν ὅτε Δανούβιος καὶ ὁ Ῥῆνος.*

quod alii ita mutari voluerunt, ut Dubis, alii ut Duranius ex Apollinari Sidonio restitueretur. [1]) Facile Diodorus in hunc errorem incidere potuit; nam cum nuspiam in Pontum Euxinum Danubium influere cognovisset, alia ostia ei tribuere non poterat, nisi in oceanum, in quem etiam Rhenum influere percepit.

Eustathius [2]) prius Danubii nomen *Ματόαν*, quod Graecis *"Ασιος* sit, fuisse tradit, et *Δανύβιον* nomen esse, a Scythis inditum, *ὥσπερ τοῦ ἁμαρτεῖν ἐκείνους αἰτίαν ἔχοντι; τουτέστιν*, inquit, *αἰτώμενος διὰ τοῦ τοιούτου ὀνόματος ὑπ' ἐκείνων κατὰ τὴν αὐτῶν γλῶσσαν, ὡς αἴτιος αὐτοῖς δυστυχίας γενόμενος*, cum saepe transeuntes male mulcati in ulteriores ripas, rejecti fuissent. Eustathius cum ad Strabonem (id est „Geographum"), testem hujus rei, provocat, vehementer errat.

Strabo enim *Matoan* fluvium ne nominavit quidem, ad hunc auctorem (p 304) Gosselinio

---

1) cf. Wessel. annot. ad de l. Not. 64. (ubi pro laudato loco Diod. L. IV. 158 legendum est l IV. 156).

2) Eustathius. ad Dionys Perieg v. 298. 99. *φησὶ δὲ ὁ αὐτὸς Γεώγραφος καὶ ὅτι ὁ "Ιστρος ποτὲ Ματόας ἐλέγετο ὅ ἐστι κατὰ "Ελληνας "Ασιος.* Haec vox significat limosum fluvium et respondet omnino nostro vocabulo Donau, si recte explicueris. Ton sive Thon enim limum notat, Aue sive Au fluvium. Hanc derivationem, non statim rejiciendam, proposuit Bertius Rer. Germ. L. I. c. 24.

recte jam observante, Eustathium non Strabonem sed Stephanum Byzantinum, *τὸν ΕΘΝΟΓΡΑΦΟΝ* laudare voluisse, minime vero *τὸν ΓΕΩΓΡΑΦΟΝ*. Hic enim Stephanus Byz. [1]) *Δάνȣβις* [2]) inquit, *ἢ Δάνουσις, Ἴστρος ὁ ποταμὸς πάλαι Ματόας καλȣ́μενος. συμφορᾶς δὲ τοῖς Σκύθαις ἐπιπεσούσης, οὕτως ἐκλήθη. Ματόας δὲ λέγεται ἐς τὴν Ἑλληνίδα γλῶσσαν ασῖνής, ὅτι πολλάκις περαιούμενοι, οὐδὲν ἐπεπόνθεισαν. ὁ δὲ Δάνȣσις ἑρμενεύεται, ὥσπερ τοῦ ἁμαρτεῖν ἔχων τὴν αἰτίαν.*

Tamen, haec nomina perantiqua esse non crediderim, cum antiquissimis scriptoribus nunquam memorentur. *Etyma* sectantes et seriorum temporum et recentioris aetatis, qui sunt haud pauci, ex nominum significationibus multa in Geographiam et historiam temere intruserunt. Quam ob rem non nisi caute fallaci huic generi fides habenda est.

---

1) s. v. *ΔΑ΄ΝΟΥΒΙΣ*. Berkelius in ed. Steph. Byzant. restituit *ἀσινής* pro voce forsan hic vitiata *Ἄσιος*. Stephanus Byzantinus autem novam hanc vocem formasse videtur, et genuina est interpretatio Scythici vocabuli. Vocem, *Δάνουσις* explicuit etiam Hesychius s. v. *Δανύειν*, cujus synonymum *κακȣργεῖν* exhibuit. cf. etiam de Danubii nomine Gundlingiana IX. I. §. 29. et Rhenanum Rer. Ger. lib. III.

2) *ΔΑΝΟΥΒΙΣ* etiam Nicephoro Blemmidae *ὁ μέγας ποταμὸς ὁ Ἴςρος* dicitur. cf. Nicephorum Blemm. ed Spohn. p. 6.

Cap. II. Istri facies in universum et natura. — Herodotus leviter perstringitur. — Στῆθη in ostiis.

Ἴστρος καλλιρέεθρος sive pulchrifluus Hesiodo [1]) ἱερὸς Dionysio Periegetae [2]) dictus, secundum Herodotum [3]) ποταμῶν γίνεται μέγιστος, multis aliis fluviis [4]) *auctus*, et a Nilo tantum propria aquarum copia superatus, apud Pyrenen urbem oritur in Celticis montibus. [5]) Inde per totam Europam fertur et aquam denique in Pontum Euxinum emittit, sive, ut Lucanus ait, L. II.„ fontes

Scythicas praeceps eructat in undas.“ Arrianus Istrum adeo majorem esse Nilo affirmat, sed omnium consensu, Nilum fluviorum maximum esse, Istro Rhodanum Varroni aemulum videri, A. Gell. [6]) tradidit. Inter Europaeos fluvios palmam tenere citra controversiam Istrum, in Pontum se condentem Agathe-

1) Hesiod. Theog. v. 137.

2) Dionys. Perieget. v. 298.

3) Herod. IV. 50.

4) Sexaginta amnes in se recipere omnes navigabiles, auctor est Plinius l. IV. cap. II. et Solin. cap. 19. Polyhist. Pomponius Mela: aliquot amnibus acceptis ingens flumen evadit. de sit orb. II. cap. I.

5) Her. 2. 33.

6) A. Gell. Noct. Att. Lib. X. cap. VII.

merus [1]) est auctor, non negante Aristot. in Meterolog. [2]) cui *Ἴστρος καὶ ὁ Νεῖλος μέγιστοι τῶν ποταμῶν εἰσι, τῶν εἰς τὴν θάλασσαν ἐξιόντων.* Et Lucano (III.) celebratur:

Nilus
non minor Istro. —

Sallustio vero [3]) Ister secundum Nilum amnium maximus, qui mediterraneum Pelagus influunt, videbatur. — *Parallelum* fluere Istrum cum Nilo, error est Herodoti peculiaris [4]). sed hic error ad Nilum magis redit, quam ad Istrum. Probe enim intellexit Herodotus, Istrum orientem versus ab occasu in Pontum Euxinum delabi, quod Dionys. Periegeta [5]) his versibus expressit:

Ἴστρος ἐς ἀντολήν τετραμμένος ἄγχι θαλάσσης
Εὐξείνου, τόθι πᾶσαν ἐρεύγεται ὕδατος ἄχνην.

Ipso enim Herodoto teste [6]) Ister *πρῶτος τὸ ἀπ᾽ ἑσπέρης τῶν ἐν τῇ Σκυθικῇ ῥέων* in sub-

---

1) Agathemer Lib. II. cap. 1. p. 48. ed. Huds. G. G. Min. Tom. II.

2) Arist. Met. C. II.

3) Sallust. Fragm. Histor. p. 489. ed. Thysii Lugd. Bat. 1659.

4) Herod. II. 33.

5) Dionys. Perieg. v. 299. ed Huds. M. G. G. IV. 253.

6) Herod. IV. 48.

solanum vertitur. Sed similiter Nilum ab occiduis plagis cursum in orientem dirigere credidit, quod forsan non omnino falsum est, si Niger [1]) fluvius ad Nilum pertinere reperiatur.

Attamen Herodotus, si in omnibus diligentiae laudem mereri voluit, Nilum longissimam viam a partibus australioribus parum cognitis in borealiora maria conficere, silentio praeterire non poterat. Parallelum itaque utriusque fluminis cursum Herodoto non concedamus.

Tam multis tantisque fluviis cum augeatur Ister, necesse est, ut etiam plurimum limi in se recipiat, et in mare secum devehat. Veteribus omnino id observatum legimus, aeque ac alterum, quod hieme imbribus auctior fluat, quam aestate. Scymnus Chius de his testimonium edens [2]):

ὁ Ἴστρος ποταμὸς, inquit,
Κατέρχεται ἀπὸ τῶν ἑσπερίων τόπων
Τὴν ἐκβολὴν πέντε στόμασιν ποιούμενος,

— — — —

Καὶ τῷ θέρει τὸν πάντα διαμένων χρόνον
Χειμῶνι μὲν γὰρ αὔξεται, πληρούμενος
Τοῖς γινομένοις ὀμβρίοισι καὶ ἀπὸ τῆς χιόνος
Τῶν τηκομένων τε λαμβάνων ἀεὶ πάγων,
Ὥς φασὶ, τὰς ἐπιφύσεις, ἐν δὲ τῷ θέρει
Τὸ ῥεῖθρον ἐξίεισιν ὡσαύτως ἴσον.

---

1) Herod. II. 32.

2) Scymni Chii Fragm. in Geogr. Min. Gr. p. 44. V. 27. seqq.

Ex descriptione Mikoschae [1]) Istrum apud Isakschiam urbem ripas saepe superantem cognovimus, ita ut ad montes Babadagenses tota planities undis obruatur. [2]) Eandem ob causam exercitus Russorum diuturnas inducias agere coactus fuit [3]) et vereor ne ita saepe etiam novae paludes in ripis Danubii formentur, faciem regionis mutantes, fortasse etiam ne in ipsa tabula mea strategica a. 1789 delineata aliquid erroris irrepserit. Est enim inter paludes Kagul et Jalpuk tertius quidam lacus, quatuor insulis insignis, quem in aliis mappis desidero. Hunc ita ortum et nunc fortasse iterum exsiccatum suspicor. Ideo puncta addidi, ut intelligeretur, dubitare me, utrum terra sit hodie an lacus perenni aqua repletus.

Frustra ergo Herodotus modo auctiorem, modo minori aquarum copia Istrum fluere,

---

1) Iter per Moldaviam P. 1. p. 17.

2) In Riedlii tabula Geogr. montium juga inter Bubadag et Isacksi usque ad Tulciam ex ingenio delineata sunt.

3) Petersb. Hofzeit. $\frac{6.\ 7.\ \text{Sept.}}{24\ \text{Aug.}}$ 1809. Das Austreten der Gewässer der Donau hatte die Bewegung der Moldauischen Armee gehindert etc. Inde fuperarunt Danubium prope Galatsch a. 1809. aliaque loca. Similiter etiam Valens imperator: „fusius Danubii ripis vagatis," per aliquot tempus immobilis tenebatur (Am. Marc. XXVII. 4).

negaverit. [1]) Haec ejus sunt verba: *ἴσος*, inquit, *αἰεὶ αὐτὸς εωὑτῷ ῥέει καὶ θέρεος καὶ χειμῶνος*. Quod vero *ἴσον αἰεὶ εωὑτῷ* fluere Istrum dicat, ejus rei causam sapienter [2]) exponit; putat enim hieme eum tantum esse, quantus sit sua natura paullo quidem major. Hieme porro his in regionibus non pluere, itaque aquam augeri non posse, aestate vero, quae acceperit liquefacta nive vel imbribus, ea solem calidiorem attrahere, eamque ob causam minui aquarum copiam, censet. Id unum dolendum, totam hanc acutam argumentationem una cum veritate rei ipsius ultro concidere. Quis autem non videt, Herodotum nisi de usitato aequali cursu, quem cum Nili inundationibus comparavit, non loqui, ea non excipiens, quae *contra regulam* acciderent.

Limi et coeni ingentem copiam Istrum a fluviis advectam in mare secum volutare, ideoque facile ostiorum faciem posse mutari, ut per se est verisimile, ita et veterum et recentiorum observationibus confirmatur. Strato enim Lampsacenus, diligentissimus naturalium in superficie terrae mutationum explorator, contendit [3]) *τῶν ποταμῶν πλείστων καὶ μεγίστων ῥεόντων ἀπὸ τῆς ἄρκτου καὶ τῆς ἀνατολῆς ἐκεῖ-*

---

1) Herod. Hist. lib. IV. c. 48.

2) Her. Hist. lib. IV. c. 50.

3) ap. Strab. p. 49.

νο, (sc. Ponticum mare) *ἴλυος* [1]) *πληρῦσθαι τὰ ἄλλα δὲ μένειν βαθέα.* Putat quoque fore, ut, si hujus modi affluxus fluviorum perduret, totus Pontus aggere aliquando oppleatur terrae. Istrum, statim diserte meminit, *καὶ γὰρ νῦν ἤδη τεναγίζειν τὰ ἐν ἀριστερᾷ τοῦ Πόντου, τότε Σαλμυδησσὸν, καὶ τὰ καλούμενα Στήθη ὑπὸ τῶν ναυτικῶν τὰ περὶ τὸν Ἴστρον καὶ τὴν Σκυθῶν ἐρημίαν.* Idem timor tenet Polybium, sed *Strabo*[2]) suggesto a fluviis coeno hanc accumulationem per totum mare [3]) fieri negat, aggestiones istas ad sola ostia arctioribus finibus rectius circumscribens, sicut et ea ipsa *Stethe* ad Istri ostia, quae pro sua opinione Strato provocavit, contra Stratonem usurpans. Simul aliis fluviorum exemplis comprobat, ad ostia solum litora longe lateque augeri; tota maria non repleri. Et Francogalli eruditi, in Physicis, sane, non contemnendi auctores tempus definiunt, quo, ut ex legibus naturae Stratonis oraculum ratum fiat, opus sit. — „Les atterissemens, inquit Gosselinius, [4]) qu'ils forment à leurs

---

1) Virgilio (in Georg. III. v. 350.) laudatur Turbidus et torquens f l a v e n t i s Hister arenas.

2) Strabo p. 52.

3) Epitomator Strabonis (pag. 10. Huds. G. G. M.) *ἐλπὶς δὲ* inquit *καὶ τὸν Πόντον ποτε χερσωθῆναι.*

4) Gosselin. not. 5. ad Strab. p. 19. Casaub. versionis Francogall. p. 118.

embouchures sont si peu de chose en comparaison de l'étendue de cette mer, que des *milliers de siècles* suffisent a peine pour les rendre visibles" Idem auctor eandem rem totidem fere verbis in alio libro[1]) expressit, sed ex tabula mea cum Ptolemaei delineatione comparata, de qua infra plura locuturus sum, cognosces, has mutationes non adeo nauci habendas esse, ut vult Gosselinius. Mikoscha etiam[2]) cum secundo Istri flumine devectus esset, iu Ponti litore ad portum quendam pervenit, quem tum neglectum et collibus adeo fuisse repletum affirmavit, ut plurima uaufragia prope eum fierent. „Dadurch, inquit, wird die Gefahr noch vergrössert, denn das Wasser verschlemmt die Ueberbleibsel der gescheiterten Schiffe, und so entstehen immer mehr Untiefen." Ita quidem *Stethe* et hodie nascuntur, et in dies magis excrescunt, ut jam promontorium (Kedrille) hodie conspiciatur, quo loco olim mare fuisse ex omnibus apparet.

Cap. III. De situ ostiorum Istri. Herodoti et Ptolemaei error.

Quemadmodum in descriptione naturae aquarum Istri nonnihil erravit historiarum

---

1) Recherches sur la geographie systemat. des anciens t. II. p. 17.

2) In itinere Turcico per Moldaviam 1793 suscepto.

pater, ita et peccat in Istri ostiis, quae e regione Sinopes in Ponto Euxino et sub eodem meridiano atque Nili ostia collocat. Ita vero argumentatur [1]: Ἐκδιδοῖ δὲ (Νεῖλος ὁ ποτ.) ἐς Αἴγυπτον. ἡ δὲ Αἴγυπτος τῆς ὀρεινῆς Κιλικίης μαλιςά κη ἀντίη κέεται. Ἐντεῦθεν δὲ ἐς Σινώπην τὴν ἐν τῷ Εὐξείνῳ πόντῳ πέντε ἡμερέων ἰθεῖα ὁδὸς εὐζώνῳ ἀνδρί. ἡ δὲ Σινώπη τῷ Ἴστρῳ ἐκδιδόντι ἐς θάλασσαν ἄντιον κέεται. Duplicem hic errorem deprehendimus, leviorem quidem, Sinopen et Ciliciam sub eodem meridiano sitas esse, graviorem alterum, Sinopen et Istri ostia eosdem longitudinis gradus habere. Illum missum facio, de hoc plura mihi dicenda sunt. De Sinopes situ nostratibus astronomis nunc dubium non est. Occupat long. grad. 52° 46′ 57″ [2]) Ismael vero non longe ab ostiis Istri in Russorum mappa Pontum Euxinum repraesentante [3]) in collectione Bertuchiana aeque et in tabula mea sub meridiano 46° 30′ 0″ jacet. Differentia igitur et error Herodoti quinque grad. long. excedit. Accuratius Ptolemaeus rem demonstravit, quamvis nec sciothero neque observationibus lunae et eclipsium usus esse videtur.

1) Herod. l. II. 34.

2) Secund. Connoiss. de temps; cf. Bertuch. Samml. d. astronom. Ortsbestimmungen. Weim. 1808. p. 245.

3) Charte v. Schw. Meer entw. beym Kais. R. Chartendepot Reduz. v. Reichhard. 1805.

Inaracium et *Boreum* [1]) ostium 56° 30 L. *Sinopen* [2]) vero sub 63° 10′ Long. collocat, unde differentia 6 graduum et 40 scrup. efficitur. Cum vero differentia 5° 36′ 57″ hodie cognita sit, Ptolemaei error nullius fere momenti videtur. Sed unde Herodotus tam grave peccatum commisserit, paullo diligentius exquirendum censeo. Altum de hac re est silentium commentatorum Herodoti, nemine vituperante nemine defendente incuriam. Larcherus verba Herod. simpliciter repetit in commentariis, ut auctoris sensum perspicuum reddat. Hoc superfluum; causa erroris potius quaerenda erat. Quae quidem haec fuisse mihi videtur.

Herodotus, ubi ipse rem pervestigare non poterat, alios auctores sequitur, nautas, peregrinatores, commercia agentes et stipendia in peregrinis terris facientes. Hic reperimus nautarum et commercia agentium Sinopensium relationes. Fuerunt autem Sinopenses coloni Milesiorum [3]) [ab Olymp. XVII. — a. 712. a. C. — usque ad eversam Miletum a Dario in Ponticis regionibus potentissimorum], aeque atque Istriani, incolentes regiones prope Istri

---

1) Ptol. Geogr. III. Cap. 11.

2) Ptol. Geogr. Lib. V. Cap. IV.

3) Diod. Sic. 4. 31. Strab. X. p. 821. Arr. per P. E. p. 15.

ostia [1]). Emebant vendebantque in Scythia et regionibus Persiae Regi subjectis, servos, frumentum, pisces et pelles. Quid si Herodotus de situ Istrianorum ex ore Sinopensis cujusdam nautae sive mercatoris relata acceperit? Illi Istrum petenti non *Euro* opus erat nec orthronoto sed omnino Austro, quoniam navis Ponti Euxini propria agitatione compulsa occidentem versus ferebatur. *Ἡ μὲν γὰρ Μαιῶτις εἰς τὸν Πόντον ῥεῖ* secundum Aristotelem [2]), Pontus eodem auctore in Aegaeum mare, quare motus totius Ponti Euxini occidentem versus efficitur, quem *ἐν πολλῷ πλήθει θαλάττης ἄδηλον εἶναι,* idem Aristoteles ostendit. [3]) Sic obliqua et diagonalis navigationis linea efficiebatur, quam nauta, constanter Arctum secutus, pro recta linea habuit, eamque ab austro in boream dirigendam censuit. En Herodotum errore quidem convictum, sed excusatum simul, integra nobis servantem, quae audivit, et in his erroribus etiam luculentissimum fidei suae documentum edentem.

Cap. IV. Fabula de duplici Istri ostio et in Hadriaticum mare et in Pontum Euxinum.

Scriptores sequioris aetatis invenisse videntur fabulam de *Ponto Euxino* per *Istrum*

---

1) Herod. II. 34.

2) Arist. Meteorol. II. Cap. 1.

3) Arist. Met. ibid.

cum *Hadria* conjuncto. Argonautae enim antiquissimis temporibus, per Phasin fluvium, mare Caspium, et alios errores primum orientem versus navigantes, deinde in borealiora fluenta delati, Oceano fere toto emenso in Graeciam rediisse [1]) dicebantur, aliis aliter rem narrantibus. Orphicorum auctor [2]) reditum fingit per Phasin et Sarangem inde per Bosporum (Cimmerium?), Pindarus per Oceanum Tritonidis ad ostia [3]), Timaeus per Tanain [4]) et, terrae isthmo superato, per Oceanum ad Tritonidis lacum. Mare Caspium Oceani pars credebatur, quare navigationem a Ponto Euxino in altum mare haud difficilem putabant veteres. Tunc demum, cum Herodotus [5]) mare Caspium ubique terra circumdatum monstrasset, alia reditus via hanc fabulam tuentibus indaganda erat

Diu Graecos interior maris Hadriatici sinus latuit. Tandem cum Persicis bellis Jo-

---

1) De variis scriptoribus, qui Argonautica tractarunt cf. Uckert Geogr. antiqua P. 1. Sect. 2. in additamentis. Nr. IV.

2) Orphei Arg. v. 1039 — 1050.

3) Pind. Pyth. Carm. IV. v. 29. sqq. Antimachus, c. 412 a. X. florens, idem narrasse fertur. Schol. Apoll. Rhod. IV. 259. 284.

4) Diod. Sic. α IV. c. 56.

5) Herod. I. 20. 12. ἡ δὲ Κασπίη θάλασσα ἔστι ἐπ ἑωϋτῆς οὐ συμμίσγουσα τῇ ἑτέρῃ θαλάσσῃ.

nes profugi, alii in Galliae australioris litora, alii in mare Adriaticum altius penetrassent, *Ister quidam fluvius et hic* in imo maris recessu innotuit. *Scylax Caryandensis*, de cujus aetate quidem inter eruditos magna est dissensio, qui vero sine dubio ante Philippum Al. patrem et post Herodotum scripsit [1]), primus hujus Istri fluvii mentionem injecit, quamvis fabulam de Argonautarum reditu nondum amplecteretur. Scribit enim [2]): *μετὰ δὲ Ἐνετοὺς* [3]) *εἰσὶν Ἴστροι καὶ ποταμὸς Ἴστρος. Οὗτος ὁ ποταμὸς καὶ εἰς τὸν Πόντον ἐκβάλλει.* Omitto caetera librariorum culpa corrupta, neque huc facientia. —

Inde alii, Argonautas hac via revertisse, fingunt. *Theopompus* Chius, Damasistrati filius, Philippi tempore florens, quem habenas saepe excutere jam veteribus notissimum erat, inter alia et haec Straboni [4]) *πλεονάζειν δοκεῖ:* maria cavernis seu foraminibus quibusdam in imo latentibus conjungi, eo argumento usus, quod later Thasius et Chius in Narone quondam inventus sit, utrumque mare e monte

1) Cf. Uckert Geogr. ant. P. I. Sect. 2. p. 321.

2) Scyl. Caryand in *περίπλῳ τῆς θαλάσσης τῆς οἰκουμένης* p. 13. ed. Gron. Lugd. Bat. 1700.

3) Henetos et Herodotus l. I. cap. 96. histor. hic collocat.

4) Strabo VII. p. 317.

quodam cerni, *καὶ τὸ τὸν Ἴστρον ἐπὶ τῶν στομάτων εἰς τὸν Ἀδρίαν ἐμβάλλειν.* Haec *παρακούσματα* a Theopompo non repetita solum sed adeo inventa esse innuere videtur Strabo, Eratostheni similia tribuens. [1]) Idem auctor alio loco Hipparchum, quod ad Istrum attinet, duplicis erroris obnoxium putat [2]), unius Istrum Ponticis e partibus oriri, alterius influere Istrum in Pontum Euxinum pariter atque in Adriam, ideoque Pontum cum Adria quibusdam in locis confluere debuisse, antequam fretum Gaditanum formatum sit. Alteram quidem vituperationem ex ipsis Strabonis verbis, quae de sententia Hipparchi proposuit [3]) statim concidere, quis est qui negaverit? [4]) Quem vero Strabo alterum in Hipparchum rejicit errorem, Istrum simul in Adriam influere, alio loco [5]) ipse amplecti videtur, alios laudans, eadem *οὐκ ἀπιθάνως οὐδ' ἀπίστως* locutos.

---

1) Eratosthenes ap. Strab. V. p. 317.

2) Strabo I. p. 57.

3) Verba sunt haec. *ἅτε δὴ τοῦ Ἴστρου ἀπὸ τῶν κατὰ τὸν Πόντον σχιζομένου* — Strabo p. 57.

4) Stat ab injusta Strabonis causa Francogallus recentissimus, Strabonis interpres. Par. 1812. T. I. p. 135. in versione tanquam Hipparchi sententiam inserens: „que l' Ister prend sa source dans les lieux voisins du Pont-Euxin.“

5) Strab. p. 46.

Restat, ut de origine fabulae paucissima subjungam.

Gosselinius [1]) cum in annotationibus ad Francogallicam Strabonis versionem, tum in opere de Geographicis systematib. veterum [2]) contendit antiquissimam esse hanc de Istro fabulam, eamque prope ad Argonautarum tempora recedere. Hic et alii eandem sententiam secuti, ad Strabonem provocant, auctorem, hanc Hipparchi fabulam κοινήν τινα τῶν πρὸ αὐτοῦ (sc. ante Hipparchum) τισὶν ἄγνοιαν εἶναι. Scriptores autem ante Hipparchum, qui temporibus Ptolemaeorum Philometoris et Evergetae intra Ol. CLIV et CLXIII floruerunt, non necessario omnium antiquissimi habendi sunt. Strabo sine dubio eos innuit, qui sequuntur.

1) *Scylacem Caryandensem*, de quo supra locutus sum. Praeter eum perpauci ante Hipparchum auctores nominantur, hanc fabulam defendentes, nemo, cujus aetas certo ante Scylacis tempora recurrat.

2) *Theopompum*, Philippi tempore florentem, quem Strabo ipse auctorem fabulae habere videtur. [3])

---

1) Franç. Vers. Par. Coray et de la Porte du Theil T. 1. p. 102. ad Strab. p. 46. ed. Casaub.

2) Recherches sur la Geographie system. des anciens T. 1. p. 37.

3) Strab. 7. p. 377.

3) *Aristotelem*, Alexandri et Philippi patris fere coaevum, [1])

4) *Timagetum*, cujus in Argonauticis Apollonius Rhodius, eodem tempore quo Hipparchus florens, vestigia pressit [2]).

Sunt forsan, qui *Pisandrum*, Eumolpi aetatis poetam de Herculis operibus canentem

---

1) In Hist. An. VIII. 13. Mirab. Auscult. Cap. CXII. si est Aristotelicum opus. In Meteorol. I, 13 idem auctor Istrum in Pontum influere ait, ostium in Adriam nullo verbo commemorans.

2) Scholiastes in Apoll. Rhod. Arg. C. IV. V. 287. Ἴστρον, inquit, ὅτι οὐδεὶς εἴρηκε τοὺς Ἀργοναύτας διὰ τοῦ Ἴστρου εἰς τὸν Ἀδριατικὸν κόλπον κατελθεῖν, πλὴν Τιμαγήτου, ᾧ ἠκολούθησεν Ἀπολλώνιος. Quis fuerit hic Timagetus et quando vixerit, omnino non constat Errare autem me non crediderim, si eum, quem unus Apollonii Scholiastes laudat, Scylace non superiorem Apollonio non inferiorem esse contendam. Scripsit Timagetus περὶ λιμένων (Schol Ap. Rh. IV. 324. IV. 306. IV. 259) quod ipsum illi potissimum post Alexandrum tempori convenit, quo physica Geographia singulari studio tractabatur. Fabricius et Vossius tacent de hoc auctore. Fabula ipsius magis exornata est caeteris, fluviam enim διὰ τῆς Κελτικῆς εἰσβάλλειν εἰς λίμνην Κελτικὴν addit. ἐκεῖθεν δὲ τὸ ὕδωρ σχίζεσθαι εἰς δύο etc. cf. Schol. Ap. Rh. v. 254.

addi velint, sed hi errant. Zosimus [1]) omnino quidem Pisandrum poetam auctorem hujus fabulae prodidit, sed cyclicum ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν appellat Lariandensem Lycaoniae poetam, quem Suidas aperte a superiore illo Pisandro Rhodio distinguit, hunc vero juniorem Alexandri Mammaeae temporibus adscribit. Tenuit hanc fabulam male coagmentatam atque hiulcam *auctor Peripli Ponti Euxini* [2]) Scymnum Chium verbotenus secutus [3]). Plinius vero *Cornelium Nepotem*, Padi accolam, vituperat [4]), quod et ipse Istrum fluvium e Danubio amne in Adriam effluentem finxerit, sed *Mela* etiam l. II. Cap. 3. Istrum in Adriam ex Danubio fluere sibi aliisque persuasit.

His fictionibus nondum contentus Apollodorus [5]) Istri non solum duplex ostium (in Pontum Euxinum et Adriam) sed adeo triplex indigitat, ut Scholiastes bene observavit [6]). *Βουλόμενος δὲ*, inquit, *ὁ Ἀπολλώνιος καινότερόν τι περὶ τοῦ Ἴστρου εἰπεῖν, τὸ εἰς τὸν Ἀδρί-*

---

1) Zosimus hist. V. c. 29.

2) Auct. an. Peripl. P. E. p. 156.

τὴν ἐκβολὴν πέντε στόμασι ποιούμενος
δυσὶ δὲ περισχιζόμενος καὶ εἰς τὸν Ἀδρίαν ρεῖ.

3) Scym. Chii Fragm. p. 45. ed. Huds. in G. G. M. Tom. II.

4) Plin. H. N. III. 22.

5) Apollod. IV. 289. sqq.

6) Scholiastes ad vers. Ap. Rhod. 291. v. Τρινάκριον.

αν καταφερόμενον ῥεῦμα αὐτοῦ ὑποδιαιρεῖ αὖθις εἰς δύο καὶ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος, ὅπερ καταχρώμενος Τρινακριον εἶπε.

Tandem *fabula de Istro diviso* Romanis armis cessit, quamvis narratio de Argonautarum reditu per Istrum paucis mutatis apud scriptores permansit [1]). Confabulatores Diodoro Siculo teste [2]) *ὁ χρόνος ἤλεγξεν, ὑπολαβόντας τὸν ἐν τῷ Πόντῳ πλείοσι στόμασιν ἐξερευγμενον Ἴστρον καὶ τὸν εἰς τὸν Ἀδρίαν ἐκβαλόντα τὴν ῥύσιν ἔχειν ἀπὸ τῶν αὐτῶν τόπων.* Debellata enim a Romanis Istriorum gente fontes *ejus fluvii non longius quadraginta stadiis a mari abesse* deprehensum esse, narrat, *commune ergo utriusque fluminis nomen* hanc scriptoribus *errandi causam* dedisse. Novit parvum hunc fluvium et Eustathius [3]) *ἕτερον* esse *Ἴστρον*, et Plin. [4]) acriter vituperat eos, qui *Istrum* in Adriam effluentem eundem putent, atque illum, qui in Pontum delabitur.

De hodierno parvi hujus fluvii nomine inter eruditos disceptatur. Stat pro Quieto Clu-

---

1) Justino 33. 2. teste Colchi Istrum intrarunt, ab alveo Savi fluminis penitus invecti vestigia Argonautarum insecuti, naves suas humeris per juga montium usque ad litus Adriatici maris transtulerunt.

2) Diod. Sic. l. IV. cap. 56. Wess.

3) Eustath. ad Dionys. perieg. v. 198.

4) H. N. III. 22.

verius in Germaniae [1]), pro Timavo idem auctor in Italiae descript. [2]); Wesselingio recte observante, Melam tam Istri quam Timavi mentionem fecisse, ideoque eundem fluvium esse non posse. Equidem *Risano* parvum fluvium Istrum veterum esse puto, qui prope urbem *Capo d' Istria* cum mari miscetur. Quieto fluvius enim olim Nauportus et Labatus dictus, fontem a mari remotiorem habet, et nomen urbis *Capo Istriae* meam sententiam confirmat. Fons, hujus fluvii Risano recentioribus dicti, ut vult Diodorus, quadraginta et quod excurrit stadiis a mari distat.

Ita fabula ex geographicis erroribus orta, poetarum et scholiastarum seriorum somniis aucta et exornata, deinde autem, cum clarior lux geographiae rem illustrasset, immutata, et tandem plane abjecta est. [3])

Cap. V. De Istri ostiorum facie, nominibus et numero secundum Ptolemaeum.

Ex iis, quae de natura Istri §. 4 disputavi, facile perspicitur ostiorum faciem non eandem

---

1) Cluveri Germania L. I. G. A. c. 30.

2) Cluveri Italia ant 1. 21.

3) Cf. etiam, quae de his Carolus Muellerus (Aegin.) docte disputavit in libro: Geschichte Hellenischer Stämme und Städte T. 1. Cap. 12 et 13 inprimis p. 297. Vratislav. 1820.

semper manere posse. — Coeno enim ex superioribus regionibus advecto formantur primo *stethe* sive colliculi arenosi in ipsis ostiis, inde fluvius hic illic repletur et novam formam induit. Quod quidem, quantopere rem impediat, quis est, qui non videat? Desperandum esset de re dilucidanda, nisi θειοτάτου (ut Marciani Heracleotae [1]) verbis utar) Ptolemaei exstaret egregium de Geographia antiqua opus, cui periegetarum studia minime nauci habenda accesserunt. Ut vero statim clariora omnia spectantibus evadant, et basis quaedam adsit, cui caeterorum scriptorum assertiones superimponantur, jam ad Ptolemaei descriptionem ostiorum ex Codice Coisliniano, quem Montefalconius vulgavit, Erasmi textum emendans me accingam, iis non neglectis, quae Palatinus codex aliter exhibuit [2]) Haec itaque sunt, quae de ostiis ipsis Ptolemaeus tradidit. Geogr. lib. III. Cap. VIII. et Lib. III. Cap. X.

---

1) Marc. Heracl. Periplus. p. 35. ed. Hudson. C. G. M. Tom. 1.

2) Asterisco notavi, quae Coisl. Cod. dissuadente recepi.

Βιβ. Γ. ΚΕΦ. η. Μῆκος. Πλάτος

ΔΑΚΙΑΣ ΘΕΣΙΣ.

[1] ***

	Μῆκος		Πλάτος	
Ἡ κατὰ Ἀξιύπολιν [2] ἐπιστροφὴ	νδ	γ	με	Ηδ

Ἀφ' ἧς καὶ Ἴστρος, ὡς ἔφαμεν ὁ ποταμὸς καλεῖται ὁ Δανύβιος μέχρι τῶν ἐκβολῶν.

Βιβ. Γ. ΚΕΦ. Ι.

ΜΥΣΙΑΣ ΤΗΣ ΚΑΤΩ ΘΕΣΙΣ.

[3] ***

[Ἡ ΚΑΤΩ ΜΥΣΙΑ περιορίζεται]

Ἀπὸ δὲ ἄρκτων τῷ εἰρημένῳ μέρει τοῦ Κιάβρου ποταμοῦ Δανυβίου μέχρις Ἀξιυπόλεως.

Καὶ τῷ ἐντεῦθεν Δανουβίῳ καλυμένῳ δὲ Ἴστρῳ μέχρι τῶν εἰς τὸν Πόντον ἐκβολῶν.

	Μῆκος		Πλάτος	
Οὗ ἡ μὲν κατὰ [4] Διονογέτειαν πόλιν ἐπιστροφὴ εἴρεται ἐπέχουσα - - - -	νγ		μς	γο

---

1) *Εὐρώπης πίναξ Θ* deest in Coisliniano, ut semper tabularum numerum non additum videmus, quem Bertius et Palat. cod. habent. Bert. p. 85.

2) *Ἀξιού πόλιν* apud Bert. sed *Ἀξιούπολιν* rectius. Tabula Peuting. Segm. VII. ed. Scheyb. et Itin. Antonini p. 224. ed Wess. Axiopolis, notitia

L. III. Cap. VIII.	Long.		Latit.	
Daciae situs. [1]				
Conversio [Danubii] juxta Axiupolim	54	20	45	45
A qua et Ister, ut diximus, Danubius fluvius appellatur usque ad ostia.				
Lib. III. Cap. X.				
Mysiae Inferioris situs. [3] ***				
Mysia inferior terminatur a septentrionibus praedicta parte Ciabri [et] Danubii fluvii usque ad Axiupolin.				
Atque inde Danubio jam Istro dicto usque ad ostia in Pontum.				
Cujus quidem apud Dinogetiam civitatem conversionem esse dixi, habentem gradus.	53		46	40

Provinciarum autem Axiupoli Praefecturae ripae Leg. II. Hercul. coh. V. pedaturae inferioris constituuntur cf. Panciroli Commentaria in not. Dign. p. 236. Urbs nuspiam Axium vocatur.

3) *** Bertius it: Εὐρώπης πίναξ θ. Tabula nona Europae. In Coisliniano abest.

4) κατὰ μὲν. Bertius.

Ἡ δὲ ἐφεξῆς τῶν στομάτων τάξις ἔχει οὕτως:

		Μῆκος.		Πλάτος	
Scissio 1.	I. Ὁ μὲν πρῶτος μερισμὸς τῶν στομάτων ὁ κατὰ Νυϊόδυνον πόλιν	νδ	Ηγ	ϛμ	Η
	Ἐντεῦθεν δὲ τὸ μὲν νοτιώτατον II. μέρος περιλαβὸν νῆσον καλυμένην Πεύκην, ἧς 5) θέσις - -	νε	γ	μϛ	Η
Ostium I. Πεύκη.	III. Ἐκβάλλει εἰς 1) τὸν Πόντον στόματι τῷ λεγομένῳ Ἱερῷ ἢ Πεύκη, ἐπέχοντι θέσιν - -	νϛ		μϛ	δ
Scissio 2.	IV. Τὸ δὲ ἀρκτικώτατον σχίζεται καὶ αὐτὸ κατὰ θέσιν	νε		μϛ	Ηδ
Scissio 3.	V. Καὶ τὸ μὲν ἀρκτικώτερον τὸ 2) ἐκ τούτου τοῦ μερισμοῦ, μερίζεται καὶ αὐτὸ κατὰ θέσιν	νε	Η	μζ	

---

5) Bertius, sive typographus potius, alterum ἧς inserit. Coislin. simplex habet. Forsan scriptum a librario quodam Πεύκην ἧς ἡ θέσις. Sed et hoc rejiciendum, cum ante τὸ θέσις articulus apud Ptolomaeum, nullo codice obstante, constanter desit.

	Long.		Latit.	
Reliquus vero ordo ostiorum sic se habet:				
I. Prima ostiorum scissio, quae est juxta Noviodunum civitatem - - - -	54	50	46	30
II. Inde pars quidem maxime australis circumfluens ins Peucen appellatam gradus habet - - -	55	20	46	30
III. Influit autem in Pontum ostio, quod dicitur sacrum vel *Peuce* situm habens	56	0	46	15
IV. Pars vero maxime borealis scinditur et ipsa juxta gradus - - - -	55	0	46	45
V. Et pars borealior hujus scissionis et ipsa scinditur juxta gradus - - -	55	30	47	0

---

1) Bertius: ἀς.

2) Bertius: τοῦ ἐκ τούτου caet.

			Μῆκος.		Πλάτος	
Ostium II. sine nomine.	*VI.*	Εἶτα τὸ μεσημβρινώτερον τὸ [3]) ἐκ τούτου τοῦ μερισμοῦ ἐνεχθὲν, παύεται μικρὸν πρὸ τῆς εἰς τὸν Πόντον ἐκβολῆς.				
	VII.	Τὸ δὲ ἀρκτικώτερον [sc. τὸ ἐκ τȣ́τȣ μερισμοῦ] ποιῆσαν λίμνην καλȣμένην Θιαγόλαν ἀρκτικωτέραν ἧς ἡ θέσις τῆς λίμνης [4])	νε	γο	μϛ	δ
Ost. III. Thiagolas. parvum ost.	*VIII.*	Ἐκβάλλει εἰς τὸν Πόντον ϛόματι, ὅ καὶ αὐτὸ καλεῖ Θιαγόλην [5]) ψιλὸν, οὗ θέσις	νϛ	δ	μϛ	
Scissio 4.	*IX.*	Τὸ δὲ μεσημβρινώτερον, τὸ ἐκ τοῦ δευτέρου μερισμοῦ, μερίζεται καὶ αυτὸ τῇ θέσει	νε	γ	μϛ	Ηδ
	X.	Καὶ τὸ μὲν ἀρκτικώτατον τὸ ἐκ τȣ́του τοῦ μερισ-				

3) Bertius iterum τοῦ.

4) Bertius numerum νε, γο, με, δ. 55, 40. 45. 15 certe falsum, cum ostium maxime australe jam 46 gradus latitudinis obtineat. Haec autem λίμνη ἀρκτι-

	Long.		Latit.	
VI. Inde pars australior ex hac scissione deducta paulo ante ostium in mare desinit				
VII. Septentrionalior [pars hujus scissionis] paludem facit *Thiagolam borealiorem* [nuncupatam] cujus quidem paludis situs - -	55	40	47	0
VIII. Exit [Thiagola] in Pontum ostio, quod et ipsum appellant Thiagolam [sive] *parvum* [sc. ost.] cujus gradus sunt - - -	56	15	47	0
IX. Pars vero australior secundae scissionis et ipsa *scinditur* in gradibus - -	55	20	46	45
X. Et borealissima pars hujus scissionis [VIII] in Pontum				

κώτερα caeteris omnibus nuncupatur. Versio latina Bertii numerum Coisliniani codicis et aliorum editionum integrum servat.

5) *Θιαγόλην.* — sic habet Bertii textus, quamvis

		Μῆκος.		Πλάτος	
	μοῦ ἐκβάλλει εἰς τὸν Πόντον, στόματι καλουμένῳ Βορείῳ οὗ θέσις	νϛ	γ	μϛ	Hγ
Scissio 5.	XI. Τὸ δὲ μεσημβρινώτερον, σχίζεται καὶ αὐτὸ κατὰ θέσιν μοίρας	νε	γο	μϛ	H
Ostium V. Inaracium.	XII. Καὶ τὸ μὲν μεσημβρινώτερον τὸ ἐκ τούτου μερισμοῦ ἐκβάλλει εἰς τὸν Πόντον στόματι καλουμένῳ Ἰναρακίῳ οὗ θέσις	νϛ	H	μϛ	γ
Scissio 6.	XIII. Τὸ δὲ ἀρκτικώτατον σχίζεται καὶ αὐτὸ κατὰ θέσιν	νϛ		μϛ	γο
Ost. VI. Pseud.	XIV. Καὶ τὸ μὲν ἀρκτικώτερον μέρος, τὸ ἐκ τούτου μερισμοῦ ἐκβάλλει στόματι Ψευδοστόμῳ οὗ θέσις -	νϛ	δ	μϛ	γο
Ost. VII. Pulchr.	XV. Τὸ δὲ μεσημβρινώτερον ἐκβάλλει στόματι καλουμένῳ καλῷ οὗ θέσις	νϛ	δ	μϛ	H

---

antea *Θιαγόλαν*. Coisl. Cod. perperam *Θιαγόλη* (sic.) exhibet Retinui *Θιαγόλην*, errorem vero librarii suspicor et *Θιαγόλαν*, ut paulo ante, repo-

	Long.		Latid.	
intrat ostio *Boreo* dicto, cujus gradus sunt - -	56	20	46	45
XI. Meridionalior vero pars et ipsa *scinditur* ad gradus	55	40	46	30
XII. Et pars quidem hujus scissionis australior in Pontum fertur *ostio Inaracio* appellato, cujus situs - -	56	30	46	20
XIII. Pars maxime borealis *scinditur* et ipsa in gradibus	56	0	46	40
XIV. Borealior autem hujus scissionis pars in mare erumpit ostio *Pseudostomo* dicto, cujus gradus sunt -	56	15	46	40
XV. Meridionalior vero pars [hujus scissionis] ostio erumpit *Pulchro* dicto, cujus gradus sunt - - -	56	15	46	30

---

nendum puto. Praeterea inter *Θιαγ.* et *ψιλ.* incicisum est ponendum et *ψιλόν* ad *ϛόμα* referendum.

Haec Claudius Ptolemaeus, cujus quidem artificiosam ostiorum et scissionum multiplicium descriptionem satis mirari non possum. Sed Romani his temporibus et paullo ante situm ostiorum Danubii id circo certe eo diligentius perscrutati funt, quo majorem usum praebuit hic fluvius navigabilis exercitibus trans Danubium adversus barbaros agentibus, cum adverso flumine commeatus adveherentur. Nunc singula diligentiori disquisitioni subjiciam.

I. *Scissio prima.* A Novioduno, quae est civitas Isaksi nostris temporibus (cf. infra P. II. quo loco de urbibus sermo erit) incipiens secundo flumine vectus et octoginta circiter stadia emensus ad primam scissionem pervenit auctor. Eadem est distantia ad eum Istri locum, quo dextra haud procul a ripa parvus lacus *quadrangularis* reperitur, per rivulum quendam cum lacu, Rasomo hodie dicto, apud Babadag cohaerens, inde autem per ostium Sacrum, Portizza hodie appellatum, in Pontum exiens A. 1789, quo tabula mea, quam inprimis secutus sum, delineata est, in isthmo qui hoc lacu et fluvio decurrente formatur, exercitus Turcici manus collocata erat. *Olim certe cum fluvio cohaesit lacus* et scissionem effecit, de qua primo loco apud Ptolemaeum sermo erat. Aliae quidem tabulae geographicae ut Riedelii et recentissimi editoris, Vaudoncourt montium tractum continuam prope ripas ab Isakcsia urbe usque ad Tulcziam (quam Tilicium Justiniani esse su-

spicor) decurrentem pingunt, sed secundnm *Reichardi* tabulam (Norimb. 1816) illi montes omnino desunt et *Rizzi Zannoni* et *Palma* hunc lacum pingunt cum Istri quodam alveo adhuc cohaerentem, qui proxime a dextro Novioduni (s. Isakcsiae [1]) latere in Danubium fertur. Certo montes hic ex ingenio pictorum additi sunt, nam *arenosa planities inter Noviodunum et Aegyssum* (s. *Babadag*) *extenditur*, cujus rei testimonium adfert Mikoscha [2]). „Das rechte Ufer der Donau, inquit, ist gar nicht hoch. Wenn sie daher übertritt, so überschwemmt sie gewöhnlich die *ganze Ebene bis an die Bergkette bei Babadagi*, die man eine gute Meile am Ufer von *Isaccia* sehen kann". Facile igitur Danubius, tantum coeni secum ferens, ut in ostiis ςήθη formaret, et veteribus auctoribus timorem injiceret: ne totum Pontum arena aliquando impleret, (cf. infra: De natura Danubii) hanc etiam scissionem coeno replere potuit.

Cap. VI. De Peuce insula, — nunc peninsula. — Expeditio Alexandri in Peucen. — Forma et natura Peuces insulae. Nomen.

Haec disputatio necessario me deducit ad alteram de Peuce insula, quam hodie penin-

---

1) De hac urbe sermo erit in altera parte opusculi mei.

2) In itinere Turcico per Moldaviam Lps. 1793. T. I. p. 17.

sulam esse affirmo, in qua Tuldscha aliaque loca sita sunt.

Atqui prima scissio si hic fuit, pars etiam quae nunc rivuli formam habet et per ostium sacrum in Pontum illabitur, [1]) insulam Peucen circumfluit, situmque ejus indicat. —

Quae quidem insula, quantum exercuerit doctos, notissimum est. Equidem ad Ptolemaeum, Strabonem, Arrianum et Scymnum Chium potissimum recurro, meaque tabula a. 1789 delineata difficilem nodum, in quem *omnes recentiores* inciderant, commodissime, ut spero, solvam non rescindam.

1) *Ptolemaeus* [2]) ut jam dictum est, scissionem primam eadem distantia a Novioduno, quae est Isakcsia, ad locum a me definitum, repraesentans, australiorem huius scissionis partem, Peucen *circumfluere* ait, eamque sub gradibus 55° 20; 46° 30′ notat (Nr. II. tabular. mear.). Habemus hic circa Platypegiam (Filibegam hodie), ubi Notitia Imperii Orient. [3]) praefecturam ripae legionis primae

---

1) Caeterum et alia exempla talium mutationum in Istro habemus. Sic relatum invenimus in Chronico Venturini: a. 1811. p. 630. »Der linke Donauarm (bei Rustschuk) umschloss sonst eine Insel, die nur einen Pistolenschuss von Slobodse, jetzt aber ausgetrocknet war.“

2) Ptolem Geogr. Lib. III. Cp. XI.

3) Not. Imp. ed. Pancirolii p. 236.

Joviae Cohortis secundae, Musculorum Scythicorum, et Classis collocat.

Classis haec fuit Lusoriarum navium non Liburnarum [1]) his locis aptissima. Ptolemaeum vero probe novisse, hanc fluvii partem in australiora delabi, ex eo situ videmus quem *Tibiscae* civitati *μεταξὺ τοῦ ποταμοῦ* (sub gradibus *νε; μς, γ*) constituit. Alterum nobis est argumentum, quod et Peucen sive Sacrum ostium sub gradibus 56° 0°, 46° 14 collocavit.

2) *Strabo* [2]) insulae a mari distantiam verbis, quae sequuntur, diserte exprimit: *μέγιστον*, inquit, *τὸ ἱερὸν στόμα καλούμενον, δι' οὗ σταδίων ἀνάπλους ἐπὶ τὴν Πεύκην, ἑκατὸν εἴκοσι*. Idem est stadiorum numerus ab eo loco, quem ego sacrum ostium esse ostendi, usque ad partem insulae maxime meridionalem, quam canalis a borealiori ostio in lacum Rasomo ducens et ipse hic lacus alluit. Vehementer ergo Barbié de Boccage [3]) in tabula gaographica erravit, cum hanc insulam mille, et quod excurrit, stadiis a mari removeret; vehementer idem in alio opere celeberrimi Bar-

1) Pancirolio probante p. 238 in not. ad. Not. Imperii.

2) Strabo R. Geogr. p. 305.

3) Barbié de Boccage in tabula, quam operi St. Croixiano de historiographis rer. Alexandri gestar. addidit. cf. Segm. quod huc. portinet, in margine mappae meae Nr. III.

thelemii, cui tabulam addidit [1]) quae *Peucen* insulam omnino ad mare pertingentem [2]) et *supra* Inaracium et Boreum ostium extensam repraesentat. Novit atque laudat in explicatione tabulae S. Croixianae, hunc Strabonis locum, [3]) novit etiam „les *attérissements considérables*, qui se sont formés dans cette partie" Strabonis vero *dimensiones* nobis inutiles esse putat, „parcequ'ils [ces attérissements] *ont changé totalement la face du terrain.* Sed quis est, qui non videat, ex diligentiore comparatione recentioris et antiquae formae, mutationes tamen intelligi posse, et Barbié de Boccage nimis improvide Strabonis auctoritatem neglexisse, cujus rei aliam causam attulit nullam, nisi quod Alexandri expeditio in Peucen insulam aliter non posse explicari sibi videretur.

3) Descendo itaque ad hanc expeditionem, quam optime in *Arriano* [4]) expositam legimus. Hic talia refert: Alexander per Thraciam in Triballos et Illyrios excurrere cum

---

1) Cf. Segm. hujus tabulae in margine mappae meae. Nr. IV.

2) Insulam non omnino ad mare pertingere docent, praeter Strabonem, versus etiam Scymni Chii (v. 40. fragm Huds. ed. Geogr. M. Cr. T. II). De Ptolemaeo antea dictum. Circumfluere alveum australiorem hanc insulam non tantammodo alluere contendit.

3) Cf. St. Croix Examen etc. p. 801.

4) Arriani Exped. Alex. l. 1. Cap. 2. — 4.

statuisset, ex Amphipoli movit. Philippis et Orbelo monte ad sinistram relictis, Nestoque superato, ad Haemum pervenit decimo, postquam iter ingressus erat, die fauces et angustias, quas invenit, primas occupavit et barbaris male mulcatis, praedam in maritimas urbes remisit. Superato vertice ipse *προήει διὰ τοῦ Αἵμου ἐς Τριβαλλοὺς, καὶ ἀφικνεῖται ἐπὶ τὸν Λύγινον ποταμόν.* Ibi argumentatio Barbié, doctissimi viri, vacillare incipit.[1]) „Le fleuve, inquit, Lyginus étoit donc au nord du mont Haemus; ainsi il ne peut être, comme on l'a pensé le même, que l'Erginus, (Tab. Peut. Segm. 7) qui se rendoit dans l'Hèbre, et je crois, qu'il faut le chercher aux environs de Silisérie (sic) sur le Danube. Il me paroît, qu'Alexandre arriva à l'Ister à peu près à l'endroit, où commençoit l'île de *Peuce*, dans laquelle Syrmus roi des Triballes s'étoit enfermé avec tout son peuple"[2]) paullo supra Istri ripas tridui itinere non a Lygino, ut putat, sed a loco prope Istrum, ubi acies commissa erat. Arrianus autem de ipso Lygino *ἀπέχει δὲ*, inquit, *οὗτος ὁ ποταμὸς ἀπὸ τοῦ Ἴστρου, ὡς ἐπὶ τὸν Αἷμον ἰόντι, σταθμοὺς τρεῖς.* Quomodo ergo, dii boni! hic idem fluvius *in Istrum* decurrere potuit, cum trium dierum itinere *ab Istro* abesset? Equidem, Alexandrum eadem via, qua Darium, Haemum

1) Strabo 301. Casaub. Arrian. Exp. Al. I. 2.

2) Danub: Pann, Mysicus L. II. p. 33.

et quidem eum tractum montium superasse censeo, quo secundum Marsilium [1]) Eski-Stambul Haemi angustias tuetur. Haec urbs a Trajano condita, Marcianopolis antiquitus in honorem Marciae sororis dicta, prope fontes fluvii cujusdam, Potamica sive Potami appellati, sita erat. Serius a Bulgaris nomen *Πρίσϑλαβα* sive Preslaw accepit, quod etiam usque ad hunc diem retinuit. Fluvium in Pontum decurrentem Bugiuk - Kangik appellat Marsilius. Hic mihi videtur Lyginus veterum. XV milliaria Germ. abest ab Istri conversione prope Silistriam, quod iter tribus diebus ab Alexandro facile confici potuit. Pugna *hic* commissa et magnus Macedonum imperator, hostibus fugatis, tertio post die (Cap. 3. lib. I.) ad Istrum pervenit. — Danubii fontem cursumque inde describit Arrianus populosque enumerat, qui ripas tenuerunt. Postremo Scythas *ἐς τὰς ἐκβολὰς* collocat, *ἵνα ἐκδιδοῖ κατὰ πέντε στόματα ἐς τὸν Εὔξεινον πόντον. Ἐνταῦϑα,* pergit, *καταλαμ-*

1) Herodoto (IV. 101) iter unius diei terrestris CC stadiis aequiparatur: *ἡ δὲ ὁδὸς ἡμερησίη ἀνὰ διηκόσια στάδια συμβέβληταί μοι.* — Lib. V. 54. vero centena et quinquagena stadia singulis diebus confici tradit. Pausanias X, 33. 180; Strabo (1. p. 61.) 250 — 300 stadia computant; et Vegetius affirmat, Romanum exercitum XX — XXIV M. P. singulis diebus conficere. Alexandrum et plura citato cursu saepe peragrasse testatur Arrianus III. 20, 21, 23.

βάνει αὐτῷ, ἠκούσας ναῦς μακρὰς κατὰ τὸν ποταμόν. Quibus tanto numero sagittariorum et gravis armaturae copiarum, quantum capere poterant, imposito, τῇ νήσῳ ἐπέπλει, ἵνα οἱ Τριβαλλοί τε καὶ οἱ Θρᾶκες συμπεφευγότες ἦσαν. Eandem vero insulam paullo supra Peucen appellans, Σύρμος δε, inquit, [1]) ὁ τῶν Τριβαλλῶν βασιλεὺς ἐκ πολλοῦ πυνθανόμενος τοῦ Ἀλεξάνδρου τὸν ϛόλον γυναῖκας μὲν καὶ παῖδας τῶν Τριβαλλῶν προὔπεμψεν ἐπὶ τὸν Ἴστρον διαβαίνειν κελεύσας τὸν ποταμὸν ἐς νῆσόν τινα τῶν ἐν τῷ Ἴστρῳ. Πεύκη ὄνομα τῇ νήσῳ ἐστίν. ἐς ταύτην δὲ τὴν νῆσον καὶ οἱ Θρᾶκες οἱ πρόχωροι τοῖς Τριβαλλοῖς, προσάγοντος Ἀλεξάνδρου, ἐκ πολλοῦ συμπεφευγότες ἦσαν. καὶ αὐτὸς ὁ Σύρμος ἐς ταύτην ξυμπεφεύγει, ξὺν τοῖς ἀμφ' αὐτόν· Patet ex his, insulam Peucen nec exiguam fuisse, cum omnem Triballorum multitudinem capere posset, nec omnibus continentis terrae bonis privatam, et ex arena fluvii tantummodo formatam, ut quae fugitivorum hominum multitudinem aliquamdiu etiam alere deberet. Sed et quae sequuntur de alveo illo, insulam a continente separante, optime probant meam sententiam.

Dubitare enim aliquis possit: an rivulus hic e parvo lacu effluens, re vera antiquitus fluvii alveus fuerit, et non potius multo latior quidam alveus sit quaerendus? — Latiorem

---

1) Arrianus. Exped. Alex. 1. c. 2.

quidem fuisse omnino eum suspicor, sed Alexandri jam temporibus hoc ostium caeteris *arctius* fuisse, ex Arriano ipso probari potest. Alexander enim cum ad Peucen, (apud Aegyssum credo) pervenisset, navibus conscensis insulam expugnare frustra tentavit, quod insulae *situs* ex parte praeruptus ac praeceps fuit, fluminisque ipsius *ῥεῦμα παρ᾽ αὐτὴν, οἷα δὲ ἐς στενὸν συγκεκλεισμένον, ὀξὺ καὶ ἄπορον προσφέρεσθαι.* Nonne facile fieri poterat, ut superior pars hujus tam arcti alvei arena fluvii repleretur?

4) Haec omnia sane delineationem meam et illustrant et comprobant. Et *Scymnus* quidem *Chius* [1]) de naturali insulae situ quaedem silentio non praetermittenda addidit:

Ἔχει δὲ, inquit, [*Ἴστρος*] *καὶ νήσους ἐν αὐτῷ κειμένας*
Πολλάς τε καὶ μεγάλας μεγέθεσιν, ὧς λόγος.
Ὧν ἡ μεταξὺ τῆς θαλάσσης κειμένη
Καὶ τῶν στομάτων οὐκ ἔσ᾽ ἐλάττων τῆς Ῥόδου
Πεύκη δὲ λέγεται διὰ τὸ πλῆθος, ὧν ἔχει
Πευκῶν. — Secutus est hunc Chium poetam Ponti Euxini Peripli anonymus auctor[2]), tam anxie vestigia poëtae premens, ut, veste soluti sermonis detracta, eosdem Senarios reperias.

---

1) In fragm. ab Huds. collectis G. G. M. T. II. p. 45.

2) Anon. Peripl. Pont. auctor p. 157. ed. Gron.

Forma insulae fuit trigona, secundum Dionysium Perieg. [1]) et Eustathium [2]), quam faciem hodie fere habet peninsula, et *basis* hujus trianguli linea dicebatur [3]) a Sacro ostio usque ad id, quod maxime septentrionale est, stadiis CCC distans. Quae si cum tabula mea comparaveris, lineam invenies totidem stadiorum intervallo, a Sacro ostio usque ad partem Istri maxime borealem, prope Ismail, et parallelam fere hujus Peuces insulae orientali orae.

Magnitudinem insulae non minorem Rhodo insula fuisse affirmant Scymnus Chius [4]) l. c. et Peripli P. Eux. auctor l. c. Rhodi vero in-

---

1) Dionys. Perieg. versus v. 299. Huds. G. G. M. T. IV. p. 53).

v. 299. „Ἴστρος ἐς ἀντολίην τετραμμένος, ἄγχι θαλάσσης

„Εὐξείνου τόθι πᾶσαν ἐρεύγεται ὕδατος ἄχνην

„Πενταπόροις πρ. χοῇσιν ἑλισσόμενος περὶ Πεύκην.“

2) Eustathius ad Dionysii laud. locum adnotationem subjungit huc facientem. *Νῆσος*, inquit, *δὲ ἡ Πεύκη τρίγωνος μεταξὺ κειμένη τῶν τȣ̃ Ἴστρȣ σομάτων.*

3) Epitom. Strab. p. 86. ed. Huds. T. II.

4) Scymnus Chius. Fragm. ab H. Coll. v. 41. p. 45 Huds. G. G. Min. T. II.

sulae magnitudinem Eustathius [1]) (*ad Dionys: versus*:

— — — *ἄντα δὲ πέζης*
Αἰγυπτίης Ῥόδος ἐστιν Ἰηλυσίων πέδον ἄνδρων,)

annotat, *ὅτι ἀντικρὺ τῆς Αἰγυπτίας πέζης — ἡ Ῥόδος κεῖται, ἧς ὁ κύκλος σταδίων ἐστὶν ἐννεακοσίων εἴκοσι.* Ambitum ergo XXIII Mill: Germ: computavit. Nobis II. milliarium Germ. spatio minor videtur. Nam si incipimus a lacu Rasomo prope Castelli antiqui rudera, quod *Halmyris* olim dicebatur, [2]) ora peninsulae in Apelioten ventum vergentis usque ad Tuldscham metitur VI Mill. G. CXL. Stad. A Tuldscha (Tilicio) ora septentrionalis extenditur usque ad isthmum prope Noviodunum VII Mill. G. CCLXXX Stad. Tertium latus Libi et Libonoto praetentum IX Mill. G. CCCLX Stad. Inde efficitur ambitus XXII M. G. sive DCCCL. Stad. Parum ergo differt omnium extensionum summa a Graecorum computatione [3]), ut vel his veritas argumentationis meae comprobetur.

---

1) Eustath. Schol. ad Dion. orb. Descr. v. 504.

2) De hoc castello in altera parte sermo erit.

3) Philippides in historia Rumuniae P. 1. Sect. 1. p. 32 *Ἡ δὲ Πεύκη*, inquit, *πολὺ ἐλάσσων νῦν ἐστί.* Credit enim, parvam illam insulam esse, quae Tuldscham urbem et Ismail interjacet. Etiam haec parva insula trigona est, sed omnia in eam melius quadrant, quam ego Peucen insulam appellavi.

Strabo [1]) πρὸς δὲ ταῖς ἐκβολαῖς μεγάλην νῆσον collocat, addens: εισὶ δέ καὶ ἄλλαι νῆσοι ἐλάττους αἱ μὲν ἀνωτέρω ταύτης, αἱ δὲ πρὸς τῇ θαλάττῃ. Et hae minores insulae plurimae et supra hanc et ad mare sitae in mea delineatione adsunt. Unus Apollonius [2]) in Argonauticis hanc meam et Strabonis descriptionem oppugnat.

"Ιστρῳ γάρ, inquit, τις νῆσος ἐέργεται τὔνομα Πεύκη
Τριγλώχιν, εὖρος μὲν ἐς αἰγιαλοὺς ἀνέχουσα
Στεινὸν δ᾽αὖτ᾽ ἀγκῶνα ποτὶ ῥόον ἀμφὶ δὲ δοιαὶ
Σχίζονται προχοαί. τὴν μὲν καλέουσι Νάρηκος
Τὴν δ᾽ὑπὸ τῇ νεατῇ καλὸν στόμα, τῇδε διαπρὸ
"Αψυρτος Κόλχοι τε θοώτερον ὡρμήθησαν,
Οἱ δ᾽ὑψοῦ νήσοιο κατ᾽ ἀκροτάτης ἐνέοντο
Τηλόθεν. — — — Apollonium in his versibus videmus insulam ad mare collocantem, scilicet inter *Naracustomon* et *pulchrum ostium*, ubi Sarmatica rectius a Plinio [3]) collocatur. Caeterum insulae natura ex Arriano bene ab Apollonio exponitur, sed luce clariora omnia signa mihi videntur, quae Peucen in-

---

1) Strabo VII. p. 305.

2) Apoll. Rhod. Argon. IV. 309. sqq.

3) Plin. H. N. C. IV. c. 24.

sulam nunc eam, quam dixi Peninsulam, indigitant, neque unus idemque levissimus poëta omnia illa evertere potest, quae docta antiquitas de Peuce insula disputavit.

Restat, ut de *nomine insulae* pauca addamus, deque piceis, quibus consita dicebatur. Praeter ea, quae laudavi, Scymni Chii aliorumque loca, in quibus nomen *Peuces* diserte ab hoc arborum genere derivatur, Ptolemaeus [1]) novit *Peucinos* incolas hujus caeterarumque insularum. Ptolemaeus vero alio loco et supra Daciam Peucinos et Peucen montem transtulit, unde insula ab his populis potius, quam a Piceis appellata esse videatur. Sed Ammianus Marcellinus [2]) vocabulum e Graeco sermone derivatum esse, contendit, et ex Strabone constat, *Peucinorum* nomen non proprium, sed appellativum eorum *Bastarnarum* fuisse, qui in illis insulis consederint. *Κατασχόντες*, inquit, *δὲ αὐτὴν (τὴν Πεύκην) Βαςαρναὶ, Πευκινοὶ προσηγορεύθησαν.* Quod ad montem Peucen a Ptolemaeo nuncupatum attinet, picearum multitudo forsan etiam huic nomen indidit, quemadmodum apud nos etiam plures montes eandem ob causam hoc nomine insigniuntur. Quis enim est, qui ignoret, montes e. g. die Tafelfichte, der Fichtelberg, das Fichtelgebirge eodem *ἐτύμῳ* uti sed utrum hodieque piceis sit obsita, nec ne, id pro certo affirmare

1) Pt. Geogr. III. 8.

2) Amm. Marc. 22, 8.

nec ausim. Tottius [1]) quidem a Tuldscha Babadag versus profectus, per densam sylvam iter fecit, sed de arborum genere nihil est, quod tradat! In magna tabula strategetica in usum belli Russici 1811 delineata, qua ego etiam usus sum, silvas hic reperio usque ad Danubii ripam prope et paullo supra Matschin (Accissum) hic, illic extensas. Testimonio etiam, insulas ex parte saltem sylvis obtectas esse, pacis Bucharestianae sunt tabellae a. 1812 $\frac{16}{28}$ Maji datae [2]) Diserte in his schedis constituitur: ut incolis utriusque ripae prope Kilia et Ismail ligna in insulis caedere liceat. Nuspiam vero, cum g e n e r i s arborum mentionem factam invenirem, unde nihilo tamen minus sive comprobari posset fabula de etymo Peucinorum sive refelli, Hammerum Cel., quem *αὐτόπτην* novi [3]) et hujus regionis diligentissimum exploratorem, adii. Is a Babadag (Aegysso), Noviodunum (sive Isakcsi) profectus certissimum judicium de mea sententia deque mutato maxime australi Istri alveo ferre poterat. Rescripsit mihi a. d. 20 Nov. 1817. "Das Entscheidenste für Ihre Sache ist der Weg von Babadag nach Isakcsi. Derselbe geht beyläufig $\frac{2}{3}$ durch *einen Wald*, der aber *kein Fichten-* sondern Buchenwald ist,

1) Tott Denkwürdigkeiten und Nachrichten von Türken und Tartarn. Elb. 1786. Parte II. p. 168.

2) Cf. Allgem. G. Ephem. T. 39. Octbr. 1812.

3) Cf. Hadschi Chalfa Rum. et Bosna p. 191.

und so weit ich mich erinnere im *sandigen Boden.*" A culicibus, per hanc sylvam iter faciens, vehementer vexatus, regionem describit plane opinioni meae faventem. Pergit inde: "*Dieser* Wald wäre übrigens in keinem Falle der der Insel Peuce (nach Ihrer mir vollkommen wahrscheinlichen Annahme) söndern nur *ein Theil des alten Flufsbettes.*" (Hic in mentem mihi iterum venit Arrianus de expeditione Alexandri eodem fere modo de silvis insulae Peuces loquens) "Der Wald von *Peuce wäre der in meiner Marschroute bestimmte, dessen Bäume von fern so hoch aussehen, dafs es gar wohl Fichten seyn können,* was ich aber nicht zu versichern im Stande bin."

Hujus viri auxilio partim adjutus, ex parte vero etiam destitutus, ego quoque affirmare non ausim, Peuces nomen a piceis derivandum esse. Rem ergo integram aliis, has regiones visentibus, relinquendam censeo. — *Nomen insulae* hodiernum Francogalli Strabonis interpretes *Piczina* uno verbo in margine exprimunt. [1]). Unde autem sumpserint hanc appellationem, quam omnino esse nullam suspicor, non profitentur. Unum tantum auctorem, Rigam scilicet, in tabula Hellados hac appellatione insulae, quae Psilo et Boreo (sic) ostiis interjacet, usum invenio et qui eum exscripsit, Anthimum Gazam. [2]) Insulae huic [au-

1) Strabon ed. Paris 1812 (par De la Porte du Theil Coray et Gosselin) T. III. p. 305.

2) Cf. praefationem de his tabulis. p. 9. 10.

straliori parti ejus insulae, quae in mea delineatione Boreo ostio et Thiagolae parvae interjacet,] nomen *ΠΕΥΚΗ* inscribit et *ΠΙΤΖΙΝΑ*[1]) alterum recens nomen alterum antiquum-innuens. Sed ibi Peuce nunquam fuit, ut ante probavi, nec unquam mihi persuasum habebo *ΠΙΤΖΙΝ* nomen hodia genuinum esse. Quantopere autem *Ῥῆγα* nomina recentiora et antiqua miscuerit, et omnem harum regionum formam faciemque ex ingenio mutaverit; facile tibi persuadebis, B. L. si vel uno obtutu delineationem auctoris, cujus segmentum in arctius contractum tibi proposui, 2) perlustraveris. Quae fides habenda Trogloditas in insula collocanti, quae secundum praestantissimas tabulas geographicas non montibus neque speluncis horret, est, sed coeno squalet, et e limo Danubii excrevisse videtur? quae fides geographo, qui *Νοβιόδυνον* Taschburnu (scribit *τάσιμπυρνου*), qui *Ἀξιύπολιν* Isakcsi esse autumat, quique Cium in *Κίων* mutatum Chirsovae attribuit, qui Peucen alteram *urbem* inter *Τύλξια* et *Σάμορα* collocat et alterum Danubii alveum pingit inter Peucen urbem et Samoram, ubi plane ostium est nullum. Credat Judaeus Apella!

1) Anthimus Gaza et *Μῦλλερ*, Vindobonensis editor hujus tabulae, qui Regae tabulam aere incidens *Μῆλλερ* se ipse appellavit, eadem incuria et nomen *ΠΙΤΖΙΝΑ*, *α* ultimo omisso, *ΠΙΤΖΙΝ* scribunt Utrumque nihil est.

2) Cf. Tabúlam meam Nr. II. ad marg.

Equdiem nominis insulae et ostii Peuces, nisi in *Bicevienza*, quam prope Portizzam Manzoli Galaziensis consul in delineatione supra commemorata exhibuit vestigia non inveni, neque alia exstare crediderim, et vereor, ne Francogalli editores Surrentina miscuerint faece Falerna vina.

Cap. VII. De Ponte, quo Darius Istrum junxit.

Peuce insula in veterem formam atque in integrum restituta, ad aliud haud levissimum munus me accingam. Est investigatio loci, quo Persarum rex adversus Scythas movens Istrum ponte junxerit. Et hic 1) tot fere sen-

---

1) Cf. Segmenta tabularum geographicarum ad marginem mappae meae. *Gattererus* pontem in secunda sua scissione (quae mihi non est secunda sed omnino prima) collocavit. Idem fecit *Barbié* eodem fere tempore. Postea *Barbié* (in op. St. Croixiano) pontem Darii omittit; cum vero Peucen insulam ab Arari fluvio incipientem, et usque ad Silistriam se extendentem mira locorum inscitia pingat, sive prope Galatz sive prope Silistriam pontem collocet necesse est. *Rennellius* et *Gailius*, hic in Xenophonte, ille in Herodoti geographia prope Isakcsi pontem contabulatum supponunt, assentientibus *Rega* et *Anthimo Gaza*, qui vero Axiopolin huc transferunt. *Mannertus* ipse se. Nam pugnat Tom. IV. Geogr. ant. p. 240. pontem apud Tiltscha e regione Ismael fuisse; T. VII. p. 120. Noviodunum sive Isakcsi trajectus locum exstitisse contendit.

sus, quot interpretum capita. *Herodotum* omnium auctorem alii aliter interpretantur. Me, cum de pontibus Persarum in Hellesponto et Bosporo Thracio [1]) scriberem, et hujus pontis describendi cupido incessit. Itaque ad omnem hanc disputationem de Istro ductus sum Locus Herodoti classicus lib. IV. c. 89. legitur. *Δαρεῖος δὲ,* inquit, *δωρησάμενος Μανδροκλέα* (propter pontem in Bosporo affabre factum) *διέβαινε ἐς τὴν Εὐρώπην, τοῖσι Ἴωσι παραγγείλας πλέειν ἐς τὸν Πόντον, μέχρι Ἴστρου ποταμοῦ. ἐπεὰν δὲ ἀπίκωνται ἐς τὸν Ἴστρον, ἐνταῦθα αὐτὸν περιμένειν, ζευγνύντας τὸν ποταμόν.* [Desunt haec verba inde ab *ἐπεὰν* ad *ποταμὸν* usque in versione Latina Schweighäuseri]. *Τὸ γὰρ δὴ ναυτικὸν ἦγον Ἴωνές τε καὶ Αἰόλεες καὶ Ἑλλησπόντιοι. Ὁ μὲν δὴ ναυτικὸς στρατὸς τὰς Κυανέας διεκπλώσας, ἔπλεε ἰθὺ τοῦ Ἴστρου. ἀναπλώσας δὲ ἀνὰ τὸν ποταμὸν δυῶν ἡμερέων πλόον ἀπὸ θαλάσσης, τοῦ ποταμοῦ τὸν αὐχένα, ἐκ τοῦ σχίζεται τὰ στόματα τοῦ Ἴστρου ἐζεύγνυε.* Darius vero trajecto cum exercitu Bosporo per Thraciam processit [2]) *πρὶν δ' ἀπικέσθαι ἐπὶ τὸν Ἴστρον, πρώτους αἱρέει Γέτας τοὺς ἀθανατίζοντας, οἳ πρὸς ἀγνωμοσύνην τραπόμενοι αὐτίκα ἐδουλώθησαν.* [3]) Pergit

1) Kruse Herodots Ausmessung des Pontus Euxinus etc. Wratisl. Holäufer. 1819.

2) Herod. IV. cap. 90.

3) Her. hist. IV. cap. 93.

cap. 97 Herodotus. Postquam omnis exercitus fluvium transiisset, Darium pontem solvi jussisse, admonitum vero a Mitylenaeo quodam, Jonas in custodiam pontis reliquisse [1]) atque, sexaginta nodis in loro nexis, mandasse, ut diebus singulis singulos nodos solventes, pontem omni cura servarent, quamdiu superessent solvendi. [2]) Profectus itaque est per *veterem Scythiam* meridiem versus ad Istri et Ponti Euxini litora sitam. [3]) Inde interiora petiit, multisque gentibus et detectis et sine proelio fugatis tandem aquae et commeatus inopia coactus [4]) se recepit, *κλαίειν* jussus ab Idanthyrso Scytharum rege [5]). Scythae viarum compendiis usi, Scopasin Sauromatarum regem ad Istrum mittunt, dato mandato, ut iis, qui pontem in Istro positum custodirent, [6]) persuadeat, uti ponte soluto discederent. [7]) Jonibus dictis parere affirmantibus Scythae recesserunt. At altera Scytharum manus, compendiorum itineris gnara, Dario jam studiosius ab Agathyrsorum regionibus profugiente, et dierum sexaginta numero elapso, denuo ad Istrum rediens, hortatur Jonas, ut pontem solverent. [8]) Jones autem, uni parere quam omnia everti praeoptantes [9]), decreverunt: *τῆς μὲν γεφύρης λύειν τὰ κατὰ τοὺς Σκύθας ἐόν-*

---

1) Herod. IV. 97. 2) Herod. IV. 98. 3) Herod. IV c. 99. 4) Her. IV. c. 120. 5) Her. IV. 127. 6) Her. IV. 128. 7) Her. IV. 133. 8) Herod. IV. c. 136. 9) Herod. IV. cap. 137.

τα, λύειν δε ὅσον τόξευμα ἐξικνέεται. ἵνα μὴ ποιέειν τι δοκέωσι, ποιεῦντες μηδὲν, καὶ οἱ Σκύθαι, μὴ πειρῴατο βιώμενοι καὶ βουλόμενοι διαβῆναι τὸν Ἴστρον κατὰ τὴν γέφυραν. εἰπεῖν τε, λύοντας τῆς γεφύρης τὸ ἐς τὴν Σκυθικὴν ἔχον, ὡς πάντα ποιήσουσι τὰ Σκύθησί ἐστι ἐν ἡδονῇ. [1]) Tum Scythae, Jonibus fidem adhibentes, reversi sunt, Persas inquisituri. Sed iterum tota via, qua illi reverterunt, aberrarunt, at Persae aegre tandem locum trajectus repererunt. Nox erat, quum advenirent, pons ex parte interruptus, Jones dubiae fidei, Scythae sequebantur. Tum Persas gravis metus incessit, ne Jones sese deseruissent. [2]) Erat tunc apud Darium Aegyptius quidam *vocalissimus* omnium hominum. Ille a Dario jussus *in Istri ripam stans Histiaeum Milesium alta voce appellavit.* Quae cum ab *Jonibus primo celeusmate audita* essent, pons refectus est, et Persae effugerunt [3]).

In hac Herodoti narratione quatuor occurrunt indicia, qnae trajectus locum designant.

1) Classis *bidui iter a mari emensa est usque* ad αὐχένα fluvii, quem ponte junxerunt. [4])

2) Alveum fluminis ita comparatum videmus, ut, *dimidia pars pontis* s rvata, caetera solvi commode posset. [5])

---

1) Herod. IV. 139. 2) Herod. IV. 140. 3) Her. IV. 141. 42. 4) Herod. IV. 89. 5) Herod. IV. 139.

3) Vox hominis in altera ripa clamantis in altera exaudiri poterat. [1])

4) Pons denique eo loco erat junctus, ἐκ τοῦ σχίζεται τὰ στόματα τοῦ Ἴστρου. [2])

1) Ad primum illud, quod attinet, ab Herodoto ipso distantia, quam navis bidui itinere conficit, definita videtur [3]). Navem enim ἐπίπαν, inquit, μάλιστά κῃ κατανύει ἐν μακρημερίῃ ὀργυιὰς ἑπτάκις μυρίας, sive, quod idem est DCC stadia. Pons itaque MCCCC stadia ab ostio esset collocandus, nisi iter adverso flumine impeditum fuiset. Theophilus ap. Ptolemaeum [4]) et Scylax Caryand., diurnum et nocturnum navis cursum ad mille stadia computant, Ptolemaeus vero propter difficultatem navigationis in Indico Oceano unius diei et noctis iter ad CCCC stadia supposuit. Nos, si CCCC stadia singuli diei iter adverso flumine, sed vento secundo statuimus: non prorsus falli nobis videmur. — Biduum ergo DCCC stadia complet, et totidem ab ostio sacro usque ad Isakcsi sive Noviodunum emetimur penes quam urbem pontem fuisse constructum existimo.

Hadschi Chalfa in descript. Rumiliae et Bosnae (cf. v. Hammer p. 34) adverso flumine ab Isakcsi Silistriam navigantium quatuor dierum iter computat "Die von Isakcsi, inquit, nach der Moldau reisen, schiffen über, die aber

---

1) Herod. IV. 141. 2) Herod. IV. 89. 3) Her. IV. c. 86. 4) Geogr. I. c. 9.

weiter nach dem obern Ufer der Donau gehen, wenden sich gegen Westen, und fahren längs dem Ufer, wo sie dann in 4 *Tagen nach Silistria kommen.*" — Hujus vero itineris dimensionem in Zannonii tabula omnino duplo majorem invenio, quam navigationem ab ostiis usque ad Isakcsi, id quod optime cum descriptione mea consentit.

2) Parva insula huic ripae praetenditur, quam trajectum commodiorem reddidisse puto. Nam hodie etiam plerumque per insulas interjacentes trajectus fiunt. Borealior pars pontis, quae insulam inter et Scythicum litus fuit, solvebatur ex mea opinione, aliter enim pontis ex navibus constructi partem solutam esse, servata caetera majori, non facile mihi persuadebo. Latitudo Istri hac parte secundum tabulam meam Milliarii fere Germanici est, olim autem, cum prima scissio arenis nondum repleta esset, arctiorem eam fuisse credo. Sed hodieque forsan revera est arctior.

3) Inde Herodoti narratio de *vocalissimo Aegyptio* jam per se fit probabilior. [1]) Accedit, quod *media nocte clamores* latratusque multo longius audiantur, et quod Iones, Darii adventum jam diu exspectantes, fortasse etiam in insula excubias egerint.

---

1) Fortasse latitudo hujus partis Danubii, quam αὐχένα Herodotus vocat, in tabula mea a. 1789. delineata nimium est extensa, sed caeterae tabulae omnes latiorem exhibent.

4) Herodoti verba [1]) pontem eo loco junctum esse ἐκ τοῦ σχίζεται τὰ στόματα τοῦ Ἴστρου non bene aliter, quam ad *primam* scissionem referri possunt. Errant igitur, qui ad inferiorem partem Peuces insulae prope Ismail pontem junctum esse contendunt, quamvis et hic transitus fieri potuisset. Itaque ex omni hac Herodoti narratione efficitur, *pontem Darii* XL. fere stadia a Novioduno, sive Isakcsi, Apelioten versus, incepisse, et in Scythica terra eum locum attigisse, qui fere XL. stad. a Now, hodie vico ignobili, Caeciam versus, Novioduno fere oppositus jacet. [2])

Cap. VIII. Aliorum testimonia de pontibus Istro prope ostia impositis.

Historia vero saepe non unius viri testimonio contenta est, cum fieri possit, ut auctor locorum inscitia adductus tradiderit, quae per se fieri non possunt. Pluribus tunc in rem argumentis indiget, quae et confirment narrationem et illustrent. Pauca igitur nunc addamus de *trajectibus aliorum* per Istri inferioris partes. *Quatuor locis* pontes in mea tabula denotavi.

1) prope Carsum sive Hirsowa civitatem.
2) prope Gallatz, τῇ Διννογετείᾳ oppositam urbem
3) prope Isakcsi (Noviodunum), ubi est pons, quem Dario tribuimus.

1) Herod. IV. 141.

2) Eustathius ad Dionys. Perieg. v. 298. (Huds. G. Gr. M. T. IV. p. 53) ἔχει δὲ μέγιστον, inquit, στόμα

4) prope Tuldscha (Tilicium) et oppositam urbem Ismail.

1) *Primum*, quem attuli, pontem recentissimis temporibus secundum ephemerides [1]) Bagration Russorum dux celeberrimus fieri jussit a. MDCCCIX, ut nexum cum Wallachia ejusque praesidiis restitueret. Per eundem pontem eodem anno reversi sunt Russi mense Dec post fatale illud proelium prope Tartaritza [2])

2) *Secundum* pontem prope Gallatz Venturini [3]) a Russis junctum narrat, a. 1809, mense Julio, et ephemerides Petropolitanae [4]) accuratius constructionem hujus pontis *per insulas interjacentes* describunt. Deinde anno MDCCXCI. eodem loco mense Aug. pons a Russis junctus a Turcis incendio combustus est. [5])

3) De *tertio* ponte prope Noviodunum sive Isakcsi plura inveni testimonia et antiquis-

---

τὸ λεγόμενον ἱερὸν, ὅπερ ἔζευξέ ποτε Δαρεῖος, ὡς ὁ Ξέρξης τὰ τοῦ Ἑλλεσπόντου στενά. Sed cur ponte straverit latissimum ostium, Eustathius ipse viderit. Ego persuadere mihi non possum neque aliis velim pontem hic junctum fuisse.

1) Allg. Zeit. 30 Octbr. 1809.

2) Ibid. 28. Dec. 1809.

3) In Chronico ad a. 1809.

4) Petersb. Hofzeit. $\frac{6}{24}$ Aug. 1809.

5) Cf. Polit. Journal. ed. a. 1791. Mag. Nr. XI. Aug. Nr. IV.

sima. Marcellinus [1]) „Valens imp., inquit, ingredi terras hostiles pari alacritate conatur fusius Danubii gurgitibus vagatis impeditus, mansit immobilis prope Carporum [2]) vicum stativis castris usque ad auctumnum locatus emensum. Unde, quia nihil agi potuit, dirimente magnitudine fluentorum, Marcianopolin [i. e. Eski-Stambul in Haemo monte] ad Hiberna discessit. Simili pertinacia *tertio quoque anno per Noviodunum navibus ad transmittendum amnem connexis*, perrupto barbarico continuatis itineribus longius agentes Grutungos, bellicosam gentem aggressus est.“ *Hadschi Chalfa* [3]) plura in nostram rem nobiscum communicat. Ad a. MXXIX refert ex Turcicis annalibus, “quum Osman Sultanus in Polonos proficisceretur: prope Isakcsi (i. e. die Fähre Isaak's) pontem fieri fecit, quem exercitus intra XL dies transgressus est. Narrare pergit: „Da man hier die Donau leichter übersetzt als irgendwo anders, so war dieser Ort *von jeher* die Überfahrt der *Moldauer*, *Tartaren und Ungarn*. „Et recentissimis temporibus Russi et Turcae plus simplice vice hic ponte fluvium superasse videntur, sed valde dolendum est, recentiores historicos tanta incuria res gestas describere solitos esse, ut saepe, locum trajectus ne uno quidem verbo expri-

1) C. XXVII. 4.

2) Arpis est Ptolemaei Lib, III. c. II.

3) Rumili et Bosna Vernacule redd. v. Hammer, p. 83.

mant. [1]) In ephemeridibus politicis [2]) pontis a Turcis prope Isakçsiam in bello a. 1787—1791. juncti fit mentio. Exercitus Turcarum nonaginta millia militum, tripliciter diviso agmine fluvium ibi trajecit, et tertia copiarum parte in custodiam pontis relicta, caeteri Ozcakow versus profecti sunt. Caeterum *a dextra Danubii ripa in sinistram* eam ob causam trajectus facilior fieri videtur, quam a sinistra in dextram, quia sinistrum litus Bessarabiae ligno ad naves contabulandas arboribus que caret, quibus dextrum abundat, et regio prope Isakcsi naturali quodam modo firmata appellentibus navibus et copiis impedimento esse videtur.

4) De iis *pontibus*, quos tabula mea strategetica, quam imprimis sequor, *prope Ismail* civitatem et Tuldscha exhibuit, diu nihil inveni. Tacent de iis omnes ephemerides, et recentioris historiae scriptores, jamque dubitare coepi, an eo loco pontes unquam constructi fuerint. Tandem autem Mikoschae iter per Moldaviam in Turcarum imperium anno MDCCXCIII susceptum diligentius perscrutanti haec mihi occurrerunt verba: [3]) „Tulza (sic) heiſst ein Dorf, ist aber ein kleines Städtchen.

---

1) Narrant e. g. Ephemerides (Allg. Zeitung d. d. 1810, 4. Jul.) Russos tripartito agimine Danubium superasse et Bulgariae maximam partem occupasse. Nihil de locis.

2) Polit. Journal. 1789. Sept.

3) Mikoscha Reise durch die Moldau. p. 18.

Das Schloss liegt auf einem Felsen, der wie ein Keil in die Donau hineingeht. *Hier fand ich noch Spuren von der Brücke, welche die Russen im letzten Türkenkriege hier angelegt haben. Auch war eine solche über den andern Arm bey Ismail geschlagen.*

Quare tabulae meae majorem fidem tribuens ea subjungam, quae Strabo de ponte *Darii* eodem loco juncto exposuit. — Peritissimus, ut videtur, locorum, commodius hic quam prope Noviodunum trajectum fieri credidit, in quo omnino ei assentior, id modo observans, Darium duos pontes jungere debuisse (alterum prope Ismail alterum prope Aegyssum) si hic fluvium superare voluisset.

Strabo[1]) itaque ad *inferiorem* hujus insulae partem non autem vulturnum, sed aquilonem versus prope Tuldscham pontem fuisse credit, nec tamen negat, etiam *supra* hanc insulam, i. e. prope Noviodunum trajectum *fieri potuisse.* Gosselinius[2]) addit: „Il sembleroit en effet, que Darius auroit dû trouver plus de facilité à établir le pont, sur lequel il traversa le Danube, à la pointe occidentale de l'île avant la division du fleuve, et c'est aussi ce que d'Anville paroit avoir crû. Mais il est possible, que la forme et le nombre des bouches de Danube eussent changé depuis le siècle de Darius." Assentior docto Francogallo, mutationesque,

1) Strab. VII. p. 305.

2) Notae in Strab. VII. p. 305. ed. Francog. Tom. III.

quas obscure suspicatur, in tabula mea ante oculos Tuos, B. L. proposui. Straboni vero nihil inde commodi nascitur, et Herodotus, quem adversatur, praestantior testis mihi videtur ipso caeterisque omnibus scriptoribus seriorum temporum.

Cap. IX. De Istro ab Alexandro superato.

Quo loco Alexander Istrum superaverit, cum adversus Triballos infeliciter rem gessisset, difficilius est dictu, testimoniis auctorum veterum parum accurate expressis. Arrianus in expeditione Alexandri unus fere est auctor [1]) Ptolemaeum Lagi testem prae se ferens. Alexander [2]) a Peuce insula et locorum asperitate, et virtute Triballorum (Arrian l. 1. c. 3.) et navium penuria, fortassis (Strabo VII. p. 301) etiam splendidis muneribus Triballorum regis [3]) motus in Istrum adversus Getasse convertit, cupidine fluminis transeundi flagrans. Subductis igitur navibus Istrum trajicere et Getas trans Istrum habitantes petere statuit. Equitum quatuor millia peditum decem in adversam Istri ripam confluxerant, qui si trajicere vellet, prohiberent. Naves itaque ipse conscendit; pelles vero, sub quibus in castris

---

1) Arrian. Exp. Alex. l. 1. c. 3.

2) Strabo VII. 301.

3) Strabo ib.

degebant (διφθέρας, ἐφ' αἷς ἐσκήνουν) paleis impleri jubet, et quotquot in ea regione erant lintres (μονόξυλα πλοῖα) simul convehi.

Erat autem magna earum copia, quod Istri accolae iis utebantur, partim ad *piscandum* 1) partim ut inter se commeare possent, multi etiam ut praedationes exercerent. Iis igitur quam plurimis collectis, quantum ea ratione fieri poterat, exercitus partem traducit. Numerus eorum, qui cum Alexandro trajecerunt, fuit equitum mille et quingentorum, ped. quatuor millium. Haec omnia (c. 3. lib. I.) tradidit Arrianus; *locum*, quo transierit Alexander, accuratius designare, omisit, et sequenti capite 2) nihil aliud adjungit nisi: nocturno tempore transiisse Alexandrum, invenisse eum in opposita ripa densam frumenti segetem, per quam Phalanx Macedonum in urbem (εἰς τὴν πόλιν) una tantum parasanga (XXX stadiis) ab Istro distantem 3) et κακῶς τετειχισμένην,

---

1) Hodieque omnes fere Istri accolas esse piscatores, ex literis Manzolii Gallatiensis percepi.

2) Arr. Lib. I. cap. 4.

3) Mira audacia Schmiederus in specime primo notarum criticarum in Arrianum, ex ipso Arriano effici vult, urbem in ipsis Istri ripis sitam fuisse. Incolis enim ὡς ποῤῥωτάτω ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ fugientibus, quomodo, quaerit, posset haec urbs XXX stadia a flumine distare? Verba τοῦ Ἴστρου suspecta ergo ei videntur, nullo codice aliam lectionem exhibente.

processerint. Urbem esse captam narrat, magnum numerum puerorum et foeminarum abductum, Alexandrum redeuntem in ipsa Istri ripa Jovi Servatori Herculi ipsique Istro (ὅτι οὐκ ἄπορος αὐτῷ ἐγένετο) sacra fecisse, eodemque die, urbe solo adaequata, omnes suos incolumes in castra reduxisse.

Id solum patet ex omni hac descriptione, Alexandrum non procul ab insula Peuce hunc transitum fecisse, ideoque Peucen male locantes, haec etiam urbs fallit. S. Croix: La ville, inquit, dès Gètes qu' Alexandre rasa, doit avoir été aux environs du bourg ou village de Kornizell (e regione Silistriae) et j'ai placé les autels qu'il éleva a Jupiter Sauveur à Hercule et à l'Ister sur le bord du Danube (Arr. I, 4.) un peu auparavant l'ouverture du canal de Borza. Haec inania somnia mihi videntur. Alexander enim sive prope Isakcsi, sive prope Galatz transitum fecit. Commodissima mihi videtur transvectio prope Galatz, et urbs Getarum aut prope *Reny* (Timarevam alii nuncupant,) quaerenda, aut Galatz, urbs nobilior, locum deletae urbis occupat. [1]) Omnia vero incerta, donec ipsis his locis monumenta et (quod vix credendum) antiquae urbis reliquiae reperiantur. *Hierasum* fluvium inter et paludem Jal-

1) Kantemir in Mold. descript. III. p. 52. memorat antiquae urbis rudera prope Galatsch inveniri Gjerginae dictae. Numi Trajani in parietinis ejus inveniuntur.

puk, supra primam scissionem, in Danubium se exonerantem, certe reliquiae quaerendae sunt, si quis operae pretium duxerit, eas investigare.

Cap. X. De reliquis scissionibus ostiorum Istri secundum Ptolemaeum.

Absoluta de Prima scissione, et quae cum hac arctissime cohaeret, de Peuce insula, pontibus Darii et aliorum deque Alexandri M. transitu disputatione, restat, ut de caeteris Istri scissionibus disseram. Ptolemaeus unus sed egregius hujus rei auctor.

II[dae] [1]) *scissioni* gradus tribuit 50° 0′; 46° 45′. Conficiuntur hac distantia a priori CLX stadia sive quatuor mill. Germanica, et hoc convenit cum mea tabula, in qua paullulum ante pontem a Russis a. MDCCXCI in bello Turcico junctum, scissio secunda referenda est.

III[tia] *scissio secundum Ptolemaeum borealioris hujus scissionis alvei* 50° 30′; 47° 0′ definitur, nimium producta extensione ad CCLXXX stadia. Mea tabula usque ad sequentem scissionem CXXX stadia tantum exhibet. Navigationis difficultas forsan hujus erroris

---

1) Hic numerus respicit ad expositionem meam loci classici ex Ptolemaeo exscripti atque emendati.

causa fuit. Borealissimum enim ostium *pigrum* appellat Solinus; Ammiano [1]) ingens est et *palustri specie* nigrum; Tacito [2]) septimum os *paludibus hauritur*, et si ad recentiores recurramus, videmus etiam nautas tres, et quod excurrit, dies in itinere a Tuldscha usque ad Pontum Euxinum consumentes [3]) vel ventis impeditos vel vadis, quae extrema ostiorum passim occupant.

IVtam *scissionem australioris alvei secundae scissionis* Ptolemaeus gradibus 55° 20′; 46° 45, adnumerat. Quare devectio CXL stadiorum efficitur. Est vero distantia ad eum locum, quo IVtam scissionem notavi, quadraginta stadiis minor. Sed omnes stationes nimium a Ptolemaeo jam extenduntur. *Πρῶτον ψεῦδος* mihi videtur computatio ad subvectiones fluminis, adversi aquarum cursus, quo iter retardatur, ratione non habita.

Vta *scissio gradus habet* apud Ptolemaeum *ab australiori alveo scissionis IV.* 55°, 40′; 46° 30′ Efficiuntur hac positione CCXL stadia; nos dimidium totius summae iterum computamus usque ad scissionem, quae hodie arena repleta esse videtur. Magnam enim hanc insulam, quae nunc Naracio et Boreo ostio interjacet, olim nondum extitisse indicio est, quod Strabo omnes insulas in Istri ostiis

---

1) Amm. Marc. XXII. 8.

2) Tacit. Germ. I.

3) Mikoscha Reise in die Türkey 1793. Jan. 14 — 16

Peuce insula minores esse confirmet, et; quod aliter ostiorum nec numerus nec situs ex Ptolemaeo, Strabone, et Anonymo Ponti Euxini periegeta explicari possit. Sed de his infra.

VIta atque *ultima*, quae superest, *scissio borealioris V. scissionis alvei* a Ptolemaeo sub gradibus 56°, 0′; 46°, 40′ collocatur. Dimensio est CLXXX stadiorum. Concedamus his iterum dimidiam partem et habebimus, quae apud me est, extensionem alvei nunc omnino arena repleti.

Cap. XI. De ostiis ipsis eorumque nominibus secundum Ptolemaeum.

Eadem diligentia, qua scissiones descripsit, ostia ipsa etiam disposuit Ptolemaeus, a scissionibus ea deducens, finemque graduum numeris designans.

1) *Primum*, de quo loquitur, ostium est *Πεύκη* sive ἱερὸν (ϛόμα) appellatum. Id primae scissionis νοτιώτατον μέρος esse et sub gradibus 56°, 0′; 46° 15′ in Pontum influere ostendit. Nemo non videt, hoc maxime australe ostium illud esse, quod *Portizza* a Manzolio Galatiensi [1]) appellatur. Nomen alterum sortitum est ab *insula Peuce*, cujus partem occidentaliorem et meridionalem circumfluit, alterum a *sacris* quibusdam, Herculi

---

1) In literis ad Cl. de Hammerum mihi redditis.

fortassis[1]) ibi institutis, fluxisse videtur. Mannertus et caeteri omnes, in eo consentiunt, eum esse Danubii alveum, qui in lacum quendam, longe lateque inter Babatag et ostia diffusum, effluit. Lacum *Halmyrin* vocat Plinius, de quo infra plura locuturus sum, hodie Raselm sive Rasomo appellatur.

2) *Secundum* quod describit, ostium *anonymum* est, quod a tertia scissione defluens, paullo ante mare desinere affirmat, his verbis utens, εἶτα μεσημβρινώτερον τὸ ἐκ τούτου τοῦ μερισμοῦ ἐνεχθὲν παύεται μικρὸν πρὸ τῆς εἰς τὸν Πόντον ἐκβολῆς.

Respondit huic optime in mea tabula alveus Danubii, qui prope III. scissionem in australiora convertitur, et paullo ante Suline (ubi est ostium) desinit, in Edderlefs Bogaz influens. Recentiores tabulae vero constanter hanc borealiorem ostiorum partem aliter repraesentant et sequuntur potissimum tabulam

---

1) Philippum statuam Herculi in ostio Istri ponendam vovisse, Justinus est auctor lib. IX. cap. II. Scythis, si voto fungi vellet statuam sibi mitti jubentibus et non modo ut ponatur, sed etiam, ut inviolata maneret, pollicentibus Philippus hostiliter terras ingressus est. Ante Philippum, Maced. regem, ἱερὸν στόμα nunquam auditum est. Utrum statua revera posita sit, nec ne, certis historiae documentis comprobari non potest, verisimile autem est, Philippum post debellatos et exactos Scythas (Justin. l. c.) a proposito suo non declinasse.

Russicam MDCCCV. a Reichardo nobis editam: plures insulas, plurimas scissiones multosque sinus flexuosis fluvii meatibus comprehendentem, ita quidem, ut, si tabulae fides, borealiora ostia inde ab anno MDCCLXXXIX. omnino mutata esse videantur. Neque id mirum, nam major copia aquarum, quae olim in australiora devehebatur, nunc in boream fertur et insularum humiliorum et arundine parum firmatarum formam quotidie mutat. In tabula mea inedita nomen hujus alvei non additum est.

3) *Tertium*, secundum Ptolemaeum ostiorum maxime septentrionale est, exiguum ostium (ψιλὸν) sive *Thiagola* dictum. [1]) Hoc ostium ex Thiagola borealiore palude et ex III. scissione defluit, cujus borealiorem partem Ptolemaeus designat. Huic gradus adnumerat 56°, 15′; 47°, 0′. Idem constanter in tabulis nostris: *Kili-Bogaz*, a Kilia oppido appellatur. Dimenso a Thiagolae paludis borealissima parte usque ad hoc ostium spatio CCLXX stadia computantur. Nos eandem di-

---

1) De medela huic Ptolemaei loco adhibenda vide, quae supra disserui. Latini interpretes implicita verba non curánt. In Bertii editione: »Exit deinde in Pontum exili ostio (deest autem verbum, quod τῷ exili respondeat). quod etiam Thiagolam parvum appellant.« Jacobus Eszlerus in ed. lat. Arg. a. 1813. vertit: »Exit deinde in Pontum exili ostio, quod et Thialoga (Θιαγόλη) dicitur.

stantiam ab intimo Kodschego paludis recessu ad ostium Kili-Bogaz metimur — Unde nomen Thiagola sive Thiagole fluxerit, valde dubium est. *Τὸ ψιλόν*, exile ostium designat: idque omnino olim *exile* fuisse, omnes caeteri scriptores testantur. Hodie vero in dies augetur, et fere unicum est, quo naves utantur, quam ob rem ejus alvei usus et a Russis et a Turcis in pace Bucharestiana (1812) vehementer requisitus atque efflagitatus est.

4) *Quartum* ostium est *Boreum*, quod ex quartae scissionis borealissima parte Ptolemaeus deducit, addens gradus *τῷ Βορείῳ* 56°, 20′; 46°, 30′. Conficiuntur itaque CCCCLXXX stadia. Dimidiam partem hodie habemus, sed ab ostio subvehenti navigatio eadem longitudine videbitur. *Suline* Bogaz appellatur hodie a vico quodam in insula borealiore prope ostium condito.[1])

---

1) Philippides in *ΙΣΤΟΡΙΑ ΤΗΣ ΡΟΥΜΟΥΝΙΑΣ τόμος ά Μέρος ά* p 53 hoc ostium *Σωληνᾶς στόμα* appellat, quod *πάλαι μὲν μικρὸν κατὰ Στράβωνα* fuisse contendit, *νῦν δὲ*, inquit, *μόνος ἐστὶ μεγάλαις ναυσὶ διὰ βάθος πλώϊμος.* Idem fere nomen hujus ostii occurrit in Constant. Porphyrogen. de admin. Imp. Cap. IX. quo loco Russos in lintribus Constantinopolim tendentes ad fluvium quendam Selina (*Σελινὰν ποτ.*) ad Danubii fluminis, ut vocant, *παρακλάδιον* pervenisse, inde Conopam (Conopon diabasin ap-

5) *Ostium quintum* est *Inaracium.* Ex quinta scissione delabitur alveus australior, et in Pontum exit sub gr. 56° 30′; 46° 20′. Defluxu hujus alvei efficiuntur CCCLX stadia, quorum dimidio propter subvectionem adverso flumine demto, veram in nostris schedis reperies distantiam. Hodie *Kedrılle Bogaz* dicitur.

Sextum, quod affert Ptolemaeus, ostium et *septimum*, inter Boreum quidem et Naracium, in nulla tabula recentiori reperitur. Maxima nunc inter Kedrılle et Sulini-Bogaz praetenditur insula, cujus exterior limbus tumulis arenosis firmatus est; στήϑη veteribus auctoribus nominantur. Riedelius ibi notat prom Kedrille. Non longe a mari palus hodie superest, a septentrionibus in austrum vergens, quam maris partem olim fuisse suspicor.

6) Post Inaracium ostium *Pseudostomum* a Ptolemaeo recensetur, cujus situs 56°, 15′; 46°, 40′ borealior est pars scissionis sextae et paullo magis ad orientem vergit, quam Boreum ostium. Nomen ei nunc omnino esse

---

pellat Plin). legisse narrat. Hic flnvius in ostiis Danubii alius esse non potest, ac Suline, quod dıcitur, ostium. Sequor igitur lubenter Guilielmum Delisle, qui Selinam fluvium secundum ostium Danubii appellat. Narrat Const. Porphyr. l. c. Russos litora praetervehentes tamdiu a Patzinazitis, vexatos esse, »donec Selinam fluvium trajecerint.«

nullum, cum arena sit repletum, per se patet. Jam antiquitus difficillimus videtur fuisse transitus et vadorum plenus, id quod nomen *falsi* sive *fallacis ostii* aperte indicat. Idem demonstrat forsan nomen insulae adjacentis, quod fuit *Conopon diabasis*, id est culicum transitus, sive, ut mihi videtur, talis quidem transitus, qui parvis culicibus conveniens habebatur. (Cf. tamen p. 96 huj. opusc.)

7) *Ostium septimum* denique Ptolemaeo est *καλὸν*, sive *pulchrum ostium*. Situs 56°, 15′; 46°, 30′. Australiorem terminat alveum scissionis VI. Et hoc ostium nunc repletum est arena, olim, ut videtur, et maximum et pulcherrimum. Reductius paullo est Inaracio secundum Ptolemaeum. Nostrae schedae oram australiorem magis quidem versus orientem se extendentem pingunt, sed inde linea incurvatur rediens ad eundem meridianum. Et hoc ostium nomine carere, sponte intelligitur.

Cap. XII. Aliorum auctorum dimensiones et denominationes ostiorum.

Anonymus in periplo Ponti Euxini [1]) Thiagolam paludem inter ostia non recenset, et Boreum primum ostium *ψιλὸν* appellat,

---

1) An. Pont. Eux. Peripl. ed. Gron. p. 154. sqq.

quod ab Antiphili [1]) CCC stadio abesse tradit. Nimia data est distantia. Cursus forsan navis, a meridie septentriones versus tendentis effluxu aquae Danubii ex Thiagola palude retardabatur. Caeterae dimensiones melius congruunt. Computat a parvo ostio ad *secundum* (Pseudostomum appellat Ptolemaeus) stadia LX, (milia VIII). Eadem est dimensio tabulae meae. A *secundo ostio* ad *Pulchrum* stadia XLI, (milia V⅓) computat. Paullo equidem latiorem delineavi extensionem, ut medium tenerem inter Ptolemaeum, CXX stadia exhibentem, et hunc Anonymum. Digladiantur accolae ostiorum Danubii per me licet, uter avero longius recesserit. Pergit Anonymus: A Pulchro ostio ad *Naracium* (ita enim appellant quartum Istri ostium [2]) stadia LX. Paullo major est in tabula mea circumvectio inferioris insulae Sarmaticae partis, usque ad ostium Inaracium, sed tumuli arenosi et vada forsan impediverunt nautam, quo minus recta navigaret. A Naracio ad quintum Istri ostium, quod Sacrum dicitur, anonymus peripli auctor CXX stadia s. XXVI milia computat, quae quidem distantia meae tabulae congrua est. Inferior insulae pars tollenda

---

1) Antiphili scil. urbs sive vicus 330 stadiis a Cremniscis abest. cf. eundem periplum paullo ante, et quae parte altera hac de re disputabo.

2) si Θιαγόλην omiseris.

forsan, ut recta navigatione a Naracio ostio ad Sacrum pervenias.

Arrianus in periplo Ponti Euxini [1]) ab Isiacorum portu usque ad *τὸ ψιλὸν καλέμενον ϛομ. τοῦ Ἴστρου διακοσίους καὶ χιλίους ϛαδίους* computat. Isiacorum portus autem secundum ejus descriptionem medius fuit inter Tyrae ostium et locum quendam, quem Rizzi Zannoni Jamduni appellat. Inde MCC stadiis emensis Psilum ostium Istri iterum in id, quod *Boreum* Ptolemaeus appellat, incidit. Pergit Arrianus post egregie descriptam Achillis insulam. — *Ἀπὸ δὲ τοῦ ψιλοῦ καλεμένου ϛόματος τοῦ Ἴστρου ἐς τὸ δεύτερον ϛόμα ϛάδιοι ἑξήκοντα ἐνθένδε ἐπὶ τὸ Καλὸν καλούμενον ϛομα, ϛάδιοι τεσσαράκοντα. Καὶ ἀπὸ τοῦ Καλοῦ ἐπὶ τὸ Νάρακον ὧδε ονομαζόμενον, ϛομα τέταρτον τοῦ Ἴϛρου ϛάδιοι ἑξήκοντα. Ἐνθένδε ἐπὶ τὸ πέμπτον εἴκοσι καὶ ἑκατόν.* — Haec omnia, iisdem verbis ab anonymo Peripli Ponti auctore tradita, cum mea delineatione jam contuli. Itaque ne in absolutis haeream, de hac *Arriani* descriptione nihil addam.

Strabo [2]) *μέγιστον* inquit *τὸ ἱερὸν ϛόμα καλέμενον* situmque *πρῶτον ἐν ἀριστερᾷ εἰσπλέοντι εἰς τὸν Πόντον* affirmat. *Τὰ δὲ ἑξῆς εἰς ἕω* [3]) *πα-*

---

1) Arr. Peripl. p. 20. ed. Huds. G. G. M. pars 1.

2) Strabo. p. 305.

3) Francogalli editores Xylandri emendationem, qua neutiquam opus est, acriter defendentes *ἐπὶ τῷ παράπλῳ* refingunt. Interpretem Italum in suam

ῥάπλῳ τῷ ἐπὶ τὸν Τύραν. Dimensionem a primo ostio ad septimum ostium sive ultimum ita adumbrat, διέχει δ' ἀπ' αὐτοῦ τὸ ἕβδομον στόμα περὶ τριακοσίους σταδίους.

Gosselinius hunc locum ita explicat [1]) „CCC stades Olympiques valent XXX minutes de degré, c'est la distance de la première a la dernière embouchure du Danube sans compter celle du lac Raselm, qui reçoit une branche de ce fleuve.“ Quid sibi velit haec explicatio, plane nescio, nam ostium lacus Raselm est ipsum sacrum ostium, a quo metiendo Strabo incipit. Strabo septem ostia ut Ptolemaeus computans, omnino erravit. Si, ut Arrianus et anonymus Ponti Euxini peripli auctor quinque tantum commemorasset distantiam tueri potuisset. [2]) Hi enim quinque ostiorum summam faciunt CCLXXX stadiorum, quae Stra-

---

rem provocantes, qui vertit“ l'altre se seguono si trovano navigandosi al Tiro lungo il lita.« Ego Casaubonum sequor, qui Xylandri mutationem rejecit.

1) Not. 1. ad h. 1. versionis Tom. III. Par. 1812.

2) Mannerti verba, Strabonem omni ex parte defendentis haec sunt. Die Entfernung von der ersten bis zur siebenten Mündung beträgt nach Strabo 300 Stad. 7 1/2 Geogr. Meilen, und uach der Fahrt längs der Küste hat er vollkommen Recht. Haec claudicant. Nam subvectio propter litora longiorem distantiam in brevius reducere non possunt. Efficiuntur enim XII et quod excurrit milliaria Germ.

bo haud inconsulte περὶ τριακοσίους ςαδίους reddere videtur. Demas ergo ultimum ostium quod Psilum sive Thiagolam Ptolemaeus appellat, quodque ab Arriano ostiis omnino non adnumeratur, et Strabonis errorem sublatum videbis. Dimensiones caeterorum ostiorum intermediorum non designavit Strabo, [1]) attamen de varia magnitudine ostiorum locutus, τὰ μὲν δὲ τρία ςόματα, inquit, ἐφεξῆς τῷ ἱερῷ ςόματι, ἐςτὶ μικρά, τὰ δὲ λοιπὰ τοῦ μὲν πολὺ ἐλάττονα, τῶν δὲ μείζονα.

Vereor, ne iterum in his Geographus paullisper erraverit, nam cum nullus dubitem, caetera ostia omnia *Sacro minora* fuisse, non intelligo, quid sit, tria, quae Sacrum subsequantur minora (Naracium sc. Pulchrum, et Pseudostomum), caetera, (scil. Boreum sive quintum, sextum et septimum) minora quidem Sacro esse, sed majora tribus antecedentibus. Quaenam sunt ultima duo? Num anonymum ostium, quod paullo ante mare desinere et ex scissione IIItia defluere dicit Ptolemaeus et Thiagola, quod Psilum idem auctor appellat? Utrumque ostium nihili habetur, ut a majori scriptorum parte ne commemoretur quidem. (cf. Ammiani L. XXII. 8.)

Pomponius Mela [2]), „ex septem ostiis Istri tria tenuia [3]) esse reliqua navigabilia conten-

1) Strab. rer. geogr. p. 305.

2) Mela de situ orb. II. Cap. I.

3) Etiam Solinus: lib. II. — Danubius, inquit, Nilo minor, totidem, quot ille ostiis, sed tribus tenuibus, reliquis navigalibus effluit.

dit," navigabilia sine dubio Sacrum, Naracium Pulchrum et Pseudo-t innuens. Omnia nomina, ab austro incipiens, etiam *Ammianus* recensuit. [1] Primum *Peucen* esse affirmat, secundum Narcustoma, tertium Calonstoma, quartum Pseudostoma. Boreonstoma, pergit, ac deinde *Sthenostoma* (sic) longe minora esse caeteris. Septimum, ut antea dixi, ingens et palustri specie nigrum fuisse commemorat. *Plinio*,[2] VI. fluminibus evolvitur Ister. Singula ostia singulis nominibus insignivit. „Primum ostium *Peuces*, secundum *Naracustoma*, tertium *Kalonstoma*, quartum *Pseudostomon*; postea *Boreostoma* et *Spireostoma*." Ultimo recens et caeteris inauditum nomen indit, *Spireostoma*, desumptum fortasse a Spira et flexuoso alvei exilis cursu.

Apollonius Rhodius [3]) denique fabulatur de Peuce:

— — — — *ἀμφὶ δὲ δοιαὶ*
Σχίζονται προχοαί. τὴν μὲν καλέουσι Νάρηκος
Τὴν δ' ὑπὸ τῇ νεάτῃ Καλὸν ςόμα. τῇδε διαπρὸ
Ἄψυρτος Κόλχοι τε θοώτερον ὡρμήθησαν.

Narecos et Pulchrum ostium una sunt, quae Istro tribuit. Caetera omnia non attigit. *Pulchrum* ostium Apsyrto navigandum concessit. Bene! Nomen jam postulabat. Sed poëticam admiror licentiam.

---

1) Amm. Marc. lib. XXII. 8.

2) Plin. H. N. IV. 25.

3) Apoll. Rhod. Arg. IV. 311. — 313.

Cap. XIII. De Insulis et lacubus in Istri ostiis

Fluvius, cui plura sunt ostia, formet necesse est, plures etiam insulas, scissionibus ipsis et arena paulatim quibusdam locis advecta, de magna insula Peuce jam dictum est. Age dum! ad caetera jam accedamus quas) *πολὺ ἐλάττους, τὰς μὲν ἀνωτέρω ταύτης* [*Πεύκης*] *τὰς δὲ πρὸς τῇ θαλάττῃ.* sitas fuisse. Strabo demonstrat. Nomina, neque Strabo nec Ptolemaeus in descriptione scissionum et ostiorum addiderunt. Plinius vero [2]) Calonstoma memoriae prodidit, *juxta insulam Sarmaticam* fuisse delatum. „Errare itaque me non credo, cum Sarmaticam hanc insulam, inter Natacustoma et Calonstoma Plinii posuerim. Nomen Sarmaticae a Sarmatarum stirpe quodam sortita esse videtur. Peucini quidem Germanae originis dicuntur, sed Scytharum nomen" usque quaque transit in Sarmatas atque Germanos," [3]) quapropter et insula, quam Germani orientaliores tenuerunt, a Sarmatarum accolis facile Sarmatica potuit appellari.

Idem Plinius [4]) magis implicita lectione de *Conopon diabasi* loquitur: „Quartum, inquit, ostium *Pseudostomon* et in insula *Conopon diabasis.* Haec est lectio, quam Francius in textu sequitur, sed alteram quam ego prae-

---

1) Strabo p. 3 5. 2) Plin. H. N. IV. 24. 3) Plin. H. N. IV, 25. 4) Plin. H. N. IV. c. 24.

tulerim, idem editor exhibet in notis *Pseudostoma*, et *insula Conopon diabasis*. Haec appellatio (*Κωνώπων διάβασις*) culicum transitum denotat, et sive ad difficilem navigationem propter vada et angustias in Pseudostomo pertinet sive ad multitudinem culicum, qui jam in itinere a Babatag ad Isakcsi hic terrarum plurimi offenduntur. Urbis etiam *Conopae* in ostiis Istri mentionem facit Const. Porphyrg. [1]) qui Russos a Danapri fluvio Constantinopolin in *μονοξύλοις* tendentes, relicto *Selino*[2]) fluvio et *Paracladio* in Danubii ostiis *εἰς Κωνώπαν* inde Constantiam Thraciae venisse refert.

Haec *Conopa* omnino urbs quaedam ignobilis in insula Conopon Diabasi fuisse videtur, utrum autem sit Creveneschik, vicus quidam prope Pulchrum ostium, quod hodie arena repletum est, an alius quidam ignobilior, nescio. Guilielmus de l'Isle in tab. Georg. ad Constant. Porphyr. hanc urbem ad *quintum* ostium collocat, cum ad *tertium* a borealissimo collocanda fuisset. Aliam urbem *Conopam* Acarnaniae attribuit Steph. Byz. [3]) Polybii l. V. citans, ex quo effici potest, hanc urbem non Acarnaniae, sed Aetoliae fuisse, [4]) cujus nomen in Arsinoen mutatum legimus. *Mons Conope* Polybio IV, 64 commemoratur.

1) Const. Porphyrog. de administr. Imp. Cap. IX.

2) Hodie Sulina ostium dicitur.

3) cf. voc. *Κωνώπη*.

4) cf. Berkelii notam 28 in Steph. Byz. s. v. laud. cf. Strabo X. p. 460.

Harduinus [1]) culicum transitum, ait, ab ea insula certo anni tempore fieri consuetum ad paludis Maeotidis locum, *Κωνώπειον* inde appellatum, cujus Stephanus meminerit. Artificiosa nimis mihi videtur explicatio, et alia non minus rejicienda:

3) tertiam hujus tractus insulam, *Conen* scilicet, nonnisi mutatum Conopon diabaseos nomen habere. De *Cone* insula Lucanus [2]) agit: — Et Barbara, inquit, *Cone*.

Sarmaticas ubi perdit aquas sparsamque profundo
Multifidi Peucen unum caput alluit Istri.

Eam Thraciae appositam esse censeo. Sarmatica enim est unda, quae prope Sarmaticam insulam defertur, et idem alveus, qui Peucen alluit, etiam hanc insulam praeterlabitur. Contractio vocabuli *Cones* ins. ex *Conopon diabasis* audacior mihi videtur.

Lacus tres nominantur in ostiis: duo a Plinio [3]): „Primum ostium, inquit, Peuces; mox ipsa Peuce insula, a qua proximus alveus appellatur, XIX millia pass. *magna palude* sorbetur. Ex eodem alveo et super Istropolin lacus gignitur LXIII M. pass. ambitu *Halmyrin* vocant.“ Primum lacum, de quo loquitur Plinius, haud obscure superiorem partem lacus *Rasomo* prope Babatag s. Aegyssum et Tibi-

1) In annot. ap. Francium. X. Plin. l. c.

2) Luc. Phars. III. 200.

3) Plin. N. IV. 24.

scam indicari puto. Dividitur enim Rasomo litore australiore longe in lacum versus canalem excurrente, qui Naracium et Sacrum ostium conjungit. [1]) *Alter lacus*, cui LXIII mill. pass. ambitum tribuuntur, alius esse non potest, nisi totus lacus, qui Rasomo sive Ramsin hodie dicitur, excepta fortasse superiore parte usque ad *Halmyrin* castellum. Inferior pars enim ambitu eum aequat, sed Halmyris (urbs sive castellum) jam ad superiorem partem sita est, eamque ob causam ibi jam nomen hujus lacus repetendum censeo. Strabo [2]) de Halmyride lacu locutus, eumque cum Serbonide Aegypti comparans τῆς Ἁλμυρίδος λίμνης τοὺς αἰγιαλοὺς, θαλάττης μᾶλλον ἢ ποταμοῦ προσεοικέναι, refert. Rerum Geographicarum alias peritissimus Casaubonus mutari voluit τὸ: Ἁλμυρίδος in τῆς Μοιρίδος, approbantibus Seidelio, et du Theil, quorum alter emendationem: „presque evidemment necessaire" esse autumat. Attamen Plinii locum IV 24. (non VI.) addit, ex quo egregie conspicitur, veterem lectionem omnino de-

1) E. d. Hammer. Hadschi Chalfa p. 194. in hanc rem ita exposuit: Vom Hügel Jenisale aus angesehen verschwindet der See Ramsin in der Richtung au 25° N. W. erscheint aber wieder in der Richtung der Magnetnadel 32° N. O. Er ist nur ein See, dessen schmälere Verbindung sich unter dem Abhange des Hügels dem Auge entzieht.

2) Strab. R. Geogr. p. 50.

fendendam esse. Hunc Halmyridis lacum prope Istropolin Francogalli interpretes putant esse Kara-Sou, sed eum lacum a Danubio non formari hodie notissimum, itaque omnis argumentatio rejicienda videtur. Quam vere scripserit Strabo, ripas lacus Halmyridis litori maris, quam fluvii esse similiores, egregie docet Manzoli in epistola ad Cl. Hammerum. Ille enim, a visentibus exploratoribus unrelatum, altius quam in mari surrexisse undas confirmat.

III. Tertium lacum Ptolemaeus, *Thiagolam borealiorem*, (*Θιαγόλαν ἀρκτικωτέραν*) appellat, et hunc cum scissione Istri III. et cum altera *Thiagola*, sive Parvo ostio, cohaerere innuit. Gradus adscribit 55°, 40′; 47°, ó. Borealissimam hujus lacus partem his numeris definire eum voluisse perspicuum est, neque navi, ut equidem credo, emensus est viam ad hunc usque locum, sed terrestri itinere. Superato enim Danubio in secunda scissione prope Tilicium et Ismail, boream versus profecti inde in orientem versi X milliaribus German. emensis, ad lacus cujusdam finem pervenerunt, cui hodie nomen est Kodschego. Eadem est distantia a secunda scissione in Tabula secundum Ptolemaeum exarata usque ad hunc lacum. In aliis scriptoribus frustra de *Thiagola* quaesiveris.

Cap. XIV. De numero ostiorum.

Numerus deinde ostiorum, ad quem nunc contento studio cursuque deferor, varie exponitur. Antiquissimis temporibus quinque *ostia* numerabantur, quam opinionem ex recentioribus etiam nonnulli retinuerunt, *sex* ostia seriores quidam, *septem* vero major pars poetarum adamavit, similitudinem quandam cum Nilo inde quaerentium, adstipulantibus et aliis geographis, quibus borealiora ostia, quamvis exigua innotuerunt. Sed et *quatuor* tantummodo et *duo* denique finguntur, — Jam vero ut singula afferam testimonia de ostiis:

VII. 1) *Ovidio* [1]) septemplex est
2) *Statio* [2]) „septemgeminus" et
3) *Valerio Flacco* [3]) septemgeminus „septem ostia pandit."
4) *Vibio Sequestri*) decurrit per VII. ostia.
5) *Pomponio Melae* [5]) totidem ostia, quot Nilus habet.
6) *Straboni* [6]) ἑπτάστομος ἐστί.
7) *Solino* [7]) totidem, quot Nilus ostiis effluit.

Scylax [8]) vero perperam his additur a nonnullis.

---

1) Ovid. Trist. II. v. 198. 2) Silv. V. 398. 3) Arg. IV. 718. VIII. 185. 4) i. v. Danubius. 5) de orbis sit. II. 124. Gron. 6) Strab. IV. 207. 7) lib. II. init.

8) Scylax οὗτος, inquit, ὁ ποταμὸς καὶ εἰς τὸν Πόντον ἐκβάλλει ἐνδιασκευῶς εἰς Αἴγυπ-

VI. ostiis in Pontum irrumpens est Ister.

1) *Plinio* [1]) cui VI. fluminibus evolvitur.

2) *Tacito* [2]) in Ponticum mare *sex* meatibus erumpit, septimum paludibus hauritur.

3) *Ptolemaeo* [3]) ex cujus descriptione per 6 ostia in Pontum influit, uno paullo ante Pontum desinente.

V. ostia Istro alii tribuunt.

1) *Herodotus* [4]) cui est πεντάστομος.

2) *Ephoro* [5]) etiam est πεντάστομος.

3) *Dionys. Perieg* [6]) Ἴστρος πενταπόροις προχοῇσιν ἑλισσόμενος περὶ Πεύκην.

4) *Eustathio* [7]) est πεντάστομος.

τον Voss. hac voce scribit: πενταστόμως, ὡς Νεῖλος; quasi, inquit Gronovius, ostendere vellet facultatem suam in Graecis. Gronovius proposuit ἐν Δτα σκευῇ ὡς: in literae Delta habitu, prout contingit ad Aegyptum. In versione latina et Gronovii et Hudsonii reddita sunt verba obscura: „hic fluvius quemadmodum et Nilus in Aegypto per *septem* ostia in Pontum delabitur". Equidem vocem a διασκευῇ ordine obverso tamquam militari repeto, et locum intelligi crediderim, quem fluvii ostia contra Aegyptum occupant. Verto itaque: Effluit, locum *obtinens e regione Aegypti* [cf. quae de hoc Herodoti errore disputata sunt. Cap. III. huj. diss.]

1) Plin. H. N. IV. 25. 2) Tacit. Germ. I. 3) Ptol. III. 8. 4) Herod. IV. 47. 48. 5) Strab. VII 307. 6) Orb. descr. v. 301. 7) ad Dionys. Af. Huds. IV. v. 198.

5) *Scymno Chio* [1]) ἐκβολὴν πεντε ϛόμασι ποιούμενος.

6) *Anon. Ponti Eux. peripli auctor* [2]) iisdem verbis utitur.

7) *Arrianus* [3]) singula enumerat.

IV. ostia. Tabula Peutingeriana [4]) 4 ostia pingit.

II. ostia denique ab Eratosthene [5]) commemorata dicuntur, necnon Ap. Rhod. in Arg. IV. 311 de Peuce scribit: ἀμφὶ δὲ δοιαὶ Σχίζονται προχοαὶ, κ. τ. λ. Caetera ostia non commemorat poëta.

Quinarius numerus antiquissimis temporibus verus fuisse et *sextum* maxime boreale ostium, serius tandem sensim sensimque efformatum videtur; *Septimum* ostium poëtarum ingenio debemus, nam proprie ostium non est, quod *Ptolemaeus* usque ad mare non pertingentem demonstrat quodque secundum Tacitum paludibus hauritur. Nomen huic ostio etiam deest. Sed etiam sex illa ostia, quae veteres noverunt, hodie non omnia supersunt. Duo arena sunt repleta, Pulchrum scil. et Pseudostomum; [6]) quatuor insignia habemus videlicet:

---

1) In fragm. Huds. p. 11. 2) p. II. ed. Huds. 3) Arr. Peripl. p. 20. Huds. 4) segm. VII. ed. Scheyb. 5) ap. Schol. Apoll. Rhod. Arg. IV. 310.

6) *Ῥῆγα* et Anthimus Gaza indubitanter omnia ostia ex ingenio pingunt et nomina recentiora pro lubito inveniunt et collocant.

1) Portizza, quod est Sacrum ostium
2) Georgiewsk [St. Georg] Naracium.
3) Suline . . . . . Boreum
4) Kili Bogaz . . . . ThiagolePsilum

Sed insula quaedam; in ostio, quod Portizza hodie appellatur, ipsis nostris diebus efformata esse videtur, quae quintum ostium, veteribus ignotum, effecit, 2) et litora extra Portizzam versus Haemum montem et Istrum

---

1) *Ἵσρον* appellant *καρᾶ κέρμαν*; 2) *Νάρακον: Ἰενῆσελλᾶ*; 3) *Καλόν: Πορτίτζαις* (sic!); 4) *Ψιλόν: ἅγ: Γεώργ*; 5) *Βόρειον: Συλινᾶ*; 6) *Θιάγολα: τοῦ Κελίυ.*

2) Hoc, Portizza ostia paullo borealior, J a l o v a K u d s c h u k B o g a s i hodie apud Riedelium et Reichardum appellatur. (cf. tabulas viror. laudatas.) Auctor operis inscripti die Donaureise Regensburg 1760. Haec VII. nomina recenset. 1) Hierostomon oder Heiligmund, woran die considerabele Stadt Pangola (sic). 2) Narcnstomon oder Faulgang. 3) Calonstomum oder Schönmund. 4) Pseudostomum Falschmund. Addit vero fabulam »diesen sendet die Donau etliche Meilen unter der Erde ab.« 5) Boreostomum Nordmund. 6) Stenostomum Engmund. Spireostomum, Schlangenmund, weil er wie eine Schlange sich krümmt. De urbe et ostio *Lycostomo* sive *Licostomo*, quae in tab. Geogr. auctor operis inscr. »d i e Donau der Fürst aller Europ Flüsse etc.« expressit, in veteribus auctoribus nihil occurrit. A Buschingio in Geogr. Mold. a Rega et a Clarkio nihilo vero minus inter antiqua nomina recensentur.

urbem variis, quamvis admodum exilibus ostiis scinduntur, quae nominibus adhuc carent [1])

Haec sufficiant de fluvio ipso ejusque mutationibus disputata: Hic Herculis mihi columnae.

— — — — τὸ πόρσω
Δ' ἔστι σοφοῖς ἄβατον.

De urbibus populisque vicinarum regionum a Carso inde ad Tyrae fl. ostia, D. O. M. favente, altera parte mox plura subjungam.

1) Unum tantum (Kurte Bogasi) in nonnullis tabulis geogr. nomine insignitur.

Errata et addenda.

Prior numerus paginam secundus lineam notat.

P. 1. 19. l. c. 3. P. 3, 11. l. προχέων. P. 8, 16, l. 1787—1791. P. 9, 22. l. ἐκδοθεῖσα. P. 13, 7. l. quas pro quae. Ibid. 12. l. descriptione. P. 15. 25. add. ostia. P. 20, 20. l. 33. P. 22. 17 add. Caes. B. G. VI. C. 25. P. 23, 12. l. αἰτιώμενος. P. 26. 2. l. Meterol. ib. 16. l. ἀντολίην. P. 28, 30. add. Diez. Achmed Effendi: Wesentliche Betrachtungen p. 129. P. 29. 28. l. c. 50. P. 36. 24. l. p. 294. P. 39. 9. l. Met. 1. 12. Ib. 26. l. fluvium. 27. l. λίμνην. Ib. 28. l. τὸ P. 40, 4 l. Larandensem. Ib. 16. Apollonius. Ib. 29. Apollon. P 41. l. ἐξερευγμενον. P. 42, 10. l. Capo d' Istriae. Ib. 21. l. Cap. 2. P. 46. 19 l. ἀρκτικώτατον; 31. add. fere. P. 5. 20. l. τȣτȣ. Ib. 26. καλουμένω. Ib. 27. οὖ. P. 52. 30. l. continuum. P 53. 21. add. cf. Hammeri litt. p. 66. P. 57. 22. l. prope Lyginum. P. 64 14. l. piceis. P. 65. 1. l. non pro nec. P. 67. 7. l hodie. Ib. 14. loc. de Troglod. del. ib. 23. pro Τȣλζια lege Χγρίςοβα P. 78, 6. add. Achm. Effendi Diez p. 164. P. 79. 18. Getas se. P. 90, 13 Digladientur. P. 92, 3. l. ἀπ' αὐτοῦ. Ib add. Herodotus ante et. P. 93. 8. adde 1. ante πόλυ.



Barbié du Boccage delineatio ex S. Croix examen critique etc. desumta 1804.
III.
Barbié du Boccage delineatio ex Anacharsis II desumta 1782
IV.
Cl. Rennellii delineatio ex Geograph System of Herod. del. 1800
V.
Segmentum tabulae geographicae: Charte v. Schw. Meere, entwor. fen beym Kayl. Charten Depot zu St. Petersburg, reducirt v. Reichard Weimar 1805
VI.
VII
Segm. tab. Geogr. Charte de l'Empire des Odryses auct. Gail in Xenophonte 1815
ISTRI OSTIA secundum Ptolemaeum ex Codice Coisliniano (Montf.) descripta
ISTRI OSTIA cum adjacentibus regionibus a Carso usque ad Herculis villam secundum omnes veteres auctores in primis Ptolemaeum, Strabonem, Plinium, Scymnum, Anonymi Peripl. Pont. Euxini auctorem, Arrianum, Tabulam Peut., Itin. Antonini, dignitatum notitiam, Procopium de aedificiis et e tabulam recentiorem in usum belli a 1787–91 prae caeteris secutus del. H. Kruse Wrat. 1820
I. C. Gattereri del. ex hujus auctoris Thracia Herodoti ac Thuc. des. 1789.
I.
II.
Segmentum Tabulae Geographicae ΧΑΡΤΑ ΤΗΣ ΕΛΛΑΔΟΣ auctore ΡΗΓΑ in Vien. 1797
PONTUS EUXINUS
DACIAE Pars
Peuce Insula
THRACIAE
SCYTHIAE MINORIS Pars
Getae seu Troglodytae
Segmentum Tabulae Peutingerianae Fol. VII et VIII ed. Scheyb
Tab. VII
Tab. VIII
fl. agalingus
piri. Gaete. Bagae.
Venedi
Ostia fl. Danubii
Sarmate
Tanais